

Dispp. Thh. Vol. 1.



Oelth 61 Q (1-34)

2
3
4
5
6
7
8
R

DISPUTATIO SECULARIS
De
METHODO
SCHOLASTICA,

Præcipuè verò
TIMOTHEUM TENELLUM
 Benè informandi, ut à puero Sacrarum Literarum
 sciens, homo DEI ad omne opus bonum perfectè
 instructus possit evadere:

Orationes & Disputationes, ab ipsis Professo-
 ribus in Jubilæo habitas, concludens,
 In quâ simul de Philosophiâ Singularium Observa-
 tiones traduntur, & Methodus nostri Gymnasii, cum
 Institutione Paulinâ conveniens, defenditur,

die 1. Augusti horis à IX. matutinis,

Anno

Gymnasio Gedanensi Seculari

in Auditorio Majori
 habenda,

PRÆSIDE

D. JOHANNE MAUKISCH, Gymnasii
 Gedan. Rectore, S.S. Theologiæ P.P. & ad
 Ædem S. S. Trinit. Pastore.

Respondente

MICHAELE STRAUSSIO, Ged.
 Magnif. Sen. Gedan. Alumno.

27

TYPIS VIDUÆ GEORGII RHETII,
 Imprimebat **DAVID - FRIDERICUS RHETIUS.**



INCLUTÆ REIPUBLICÆ
GEDANENSIS
ILLUSTRI DOMINO BURGGRA-
BIO REGIO,
GENEROSO DOMINO PRÆSIDI,
PRÆCONSULI SENIORI, ET PROTO-
SCHOLARCHÆ,

CÆTERISq; MAGNIFICIS, PER QVAM STRENUIS,
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMISq;

VIRIS,

DOMINO VICE-PRÆSIDI, PRÆ-
CONSULIBUS, CONSULIBUS, CAME-
RARIIS, SCHOLARCHIS, ET
ÆDILIBUS &c.

DOMINIS PATRONIS ET NUTRITIIS
SUIS HUMILLIME COLENDIS.

Magna, PATRES PATRIÆ, de Nobis sorte novercã
Prognatis VOSMET cura repostã mavet.
Nam ceu pupillis Tutores mittitis, amplo
Dignati, quos fors opprimit arcta, sinu.
Ultima quem tenuit Clasfis, modò prima recepit,
Corporis ac animi Vos alimenta datis.
Fronte serenatã, quas primas Vester alumnus
Fert curvo chartas poplite, suscipite.
Magnifici curas recitabunt plura SENATUS
SECL A, Tuusq; canet post ea, Cbriste, Thronus.

offert hoc

Magnifici SENATUS

humillimus

Alumnus.



Secularem Gymnasii nostri Evangelici memoriam
 ut Die XIII Junij Anno 1658, *primæ Læctioni toto abbinæ*
seculo destinata, in Templo concione Germanicâ, in Audi-
torio verò publico Oratione Latinâ & carmine Hebraico
 concelebravi: Sic eandem *Disputatione quoq; Solenniore insigni-*
 re meo cum animo constitui. *Thema verò huic commodum*
 exquirens, *Rectoratu certè & Professione meâ Theologicâ licet di-*
 gnus, vix tamen commodius reperire potui, quàm si *Paulinam*
manuductionem, ceu filum Ariadnæ, secutus, de Methodo Scho-
lasticâ tevellum Timotheum rectè informandi, ut ἀπὸ θεοῦ seu à
puero divinas literas sciens 2. Tim. III, 15. seipsum Deo probatum
ἐργάτην ἀνεπαίσχυντον, ὁρδοτομῆντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας
 2. Tim. II, 15 *possit sistere, Theoremata nonnulla conscriberem* Re-
 ctoris enim munere qui fungor, non solum cum cæteris Cla-
 rissimis Dominis Professoribus in primâ & Secunda Classe
 Theologica profiteor: sed etiam *Inferiorum Classum Inspectionem*
 & directionem sustineo: Quarum curâ iusciratus, *Epitome Me-*
thodi Dantisane cum cæterarum Scholarum *Clarissimis Dominis*
 Rectoribus confectâ, sic inferiores Classes & Scholas reliquas
 in Methodi conformitate conjunxi, *ut Clarissimis Dominibus Re-*
 ctoribus, Methodum semel à se approbatam, & *Autoritate Publicâ*
 Magnifici Scholarchalis Collegij confirmatam, tuentibus,
 nec librorum, nec informationis diversitate hic turberur Ado-
 lescentia, quæ per hanc in literis impedimentum olim hic sen-
 sit maximum. In nostro sanè Gymnasio hactenus ea sic floruit,
 ut Adolescentum aliunde venientium copiâ destituti, *ex Infe-*
rioribus in superiores ejusdem Classes, quasi Colonias, in Examinibus
publicis benè lustratas, traduxerimus, & sic loca, quæ Eruditi
 Juvenes, in Academiam cum honore missi, reliquerunt vacua,
 vicissim Auditoribus non indoctis supplere potuerimus. Et sanè
 per hoc temporis spatiû, quod mihi in hac Provinciâ Scholasticâ
 fuit demandatû, liquido possum asserere, numerum Auditorum
 meorû & doctiorè, & ad Majora specimina aptiorem ex iis con-
 stituisse, qui recto per Classes ordine pij & diligentes ascende-



runt, vel advenientes simili Methodo fuerunt Innutriti, usq̄
aded, ut *prima etiam rudimenta* Catechetica fructum pleniorē
in *Classe Primā*, imò deinceps in *Academiā & Ministerio*, sine
redditura. Si quis enim *Catechesin Lutheri cum Dantscanā explicatio-*
ne rectè imbibat, singulorum verborum sensum *Scripturæ di-*
ctis innixum probè intelligat, & ex *Catenā Fidei* omnium *Arti-*
culorum seriem præcognoscat, ille & *Scripturæ dicta* facilius
aliquando applicare, & felicius rudiores informare poterit.
Contrà verò, si quis perverso progrediatur ordine, ei, multà
perdoctus experiētiā aliorumq̄ damnis & periculis edico,
vitium in *primā concoctione* commissum, ægrè imò vix ac ne
vix quidem in *alterâ rectè* emendatum iri. Quapropter ut par-
tīm *literis*, partīm *exemplo vivo* Methodum hæcenus à me obser-
varam docerem, Ornatisimum hunc *Michaelē Seraussum Ge-*
danensem, fortunæ quidem tenuioris, sed industriæ in literis me-
lioris Adolescentem, Magnifici nostri Senatūs *Alumnus*,
quem ex *infimā* *Gymnasij Classe* per reliquas inferiores nuper
etiam honorifico cum testimonio in *Primam* provexi, *Cathedræ*
exhibui publicæ, & quidem hæc spe fretus, fore, ut & is par-
tes suas non indecore sit gesturus, qui *primâ vice* *Cathedram*
sub me conscendit *Theologicam*. Institutum verò meum, quo
non nisi *veteranos* in aciem hæcenus produxi publicam, in *gra-*
tiam Gymnasij, & Inferiorum Classium in hoc *Tirone* mutaturus,
æquiores bonorum omnium expecto censuram. Ab hoc enim
Alumno suo, si ad debitam pietatem, humilitatem & diligen-
tiam major accedat bono cum Deo *Exercitatio*, majora quoq̄
sibi nostra promittet *Respublica*. Nec me *Theologie Docto-*
rem hujus cæpti pœnitet *Scholastici*, quoties stimuli in *Publi-*
co Programmate Theologico, mihi hunc honorem in *Theo-*
logiâ summum contequendi *Licentiam* aperiente, injecti me-
moriā reftrico. *Magnus* enim illic *Theologus Dominus D. Hül-*
femannus operas nostras, quas bini jam *Domini Superinten-*
dentēs constituti in *Ecclesiâ Christi* luculentas; Ego verò in
Academiâ posueram *sedulas*, inter se conferens, hæc inter a-

lia

lia Informationis Scholasticæ & Incitamenta addebat, quod totidem annos, quot bini Dnn. Pastores in plebe Christianâ ad pietatem adducendâ, in Parochijs & Diœcesibus suis exegerunt, Christiana publi, pro veritate, quæ secundum pietatem est, instillanda, in Palastrâ Academicâ dederim; tantò illustriore operâ posteritati locatâ, quantò illustriorem ponit, qui Imperatorem dat Reipubl. atq; is, qui gregarium militem; quantò majus beneficium locat, qui fructiferam vitem, quàm qui acinum dat. Tot etenim vineas Christo plantamus vel conservamus certè, quot vinitores in spem Patriæ formamus, qui & ipsi tenellas plantas traducibus suis propagatas educent, sentes eradant, glebas pastinent, luxuriantia folia pampinent, uberemq; Patrifamilias vindemiam præparent. Quæ verba Magni Theologi non hîc in medium protuli, mihi meisq; Musis canturus, sed in Gymnasii Jubilæo pulveris Scholastici tædium Tanti Theologi præconio discussurus, ingentem nostrarum operarum (quas in Scholis Præceptores & Professores impendimus, apud iniquiores Aristarchos contemti) utilitatem ostensurus, ac nosmet ipsos ad majorem industriam, si qua potest accedere, hâc fructûs Scholastici commendatione excitaturus. Quæ omnia ut cum Ecclesiæ, Reipublicæ, & Gymnasii commodo feliciter procedant, sic ingemiscimus:

*Vinea, quam serimus, Te Iesu vite benignâ
gaudet; non vireat palmes utrinq; pins?*

*Ex te promanat succus, quo pectora sancta
turgent, quo semper vita beata fluit.*

*Mitte tuum robur cælo, quò Flaminiis aura
nos animet, sacra quos fluminis unda rigat.*

Oeconomia.

Hic verò nostræ Disputationis finis & Scopus est, de Timotheo, seu literis Sacris idoneo aliquo subjecto, ad præmonitionem Pauli II. Tim. III, 15, à puero informando, ut deinceps sub munere Ecclesiastico meliùs possit satisfacere, Theorematâ quædam consignare. Ne verò & hîc *incedas* progrediar, totum Tractatum in Generalem & Specialem distribuam. In Generali bono cum Deo inquiram 1. An Methodus necessaria?

4 2

2. quid



2. quid sit Methodus in genere. 3. quæ causa Efficiens, Methodum Scholasticam præscribendi. 4. objectum, de quo Methodus tradenda. 5. Subjectum, cui Methodus describenda. 6. requisita ejusdem, cui subjicietur de Philosophiâ Singularium, an Gymnasio nostro conducatur, pro tempore brevis sententia. In Tractatu verò speciali, eo ordine & ferie, quâ tenellæ informationis stadia, nostriq; præsertim Gymnasii Classes sese mutuò excipiunt, processum faciam, ac ita tum Patronis, quibus Scholarum incumbit Inspectio, tum parentibus in literis benè versatis, tum docentibus deniq; ac discipulis meam de hoc Themate aperiam sententiam.

Theorema I.

Methodus certa in omni Informatione Scholasticâ quàm maximè necessaria est. Hanc igitur si quis à *μεθόδως* in Theologiâ periclitatur, parùm proficiet.

ἐκθεσις I. De Methodo peculiarem libellum conscripsit Dominus Antecessor meus honoratissimus, Excellentissimus Dn. D. Abrahamus Calovius, &c. quem Tractatum Novum de Methodo docendi & disputandi insignivit, ac scriptis suis Philosophicis p. 580 inseruit. Quò Lectorem plenius & accuratius Methodi naturam investigaturum remitto; ex eo Tractatu Philosophico jam nonnulla, pro Juventute nostrâ plenius informandâ mutuò petiturus, meoq; Scopo in Theologiâ intento applicaturus. Hic verò p. 607. vocabulum ipsum sic evolvit: *Methodus* est nomen origine Græcum, à Præpositione *μετά* & nomine *ὁδός* descendens, & vi nominis significans viam, processum vel transitum mentis ab uno ad aliud. E quâ derivatione datur conspici, Methodum non esse, nisi ubi plura conjunguntur. Omnis enim Methodus continet prius & posterius.

ἐκθ. 2. Ex hac ipsâ Nomenclatione, quâ Methodus ab uno ad alterum viam ac transitum dicit, unumq; post alterum rectâ viâ subiungi poscit, summa ejus necessitas in omni informatione elicitur. Quum enim plura proponenda sint, nec omnia simul & semel Noster Intellectus capere possit; utiq; *τάξις* s. ordo, quem



quem coeli terræq; compages clamat, servandus est, & ἀταξία
 averfanda omnis, prout hoc Paulus verbis urget elegantibus:
 1. Cor. XIV, 40 πάντα ἐν ὀρίῳ καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. Omnia
 honestè & secundum ordinem fiant, & v. 33. ὑποταγῆν ἢ subordina-
 tionem imperans, hanc addit rationem: ἔ γάρ ἐστιν ἀναταστα-
 σίας ὁ Θεός, ἀλλ' εἰρήνης. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis.
 Sicuti etiam ipse Deus omnia in mensurâ & numero & pon-
 dere disposuit. Sap. XI, 21, & in suâ εἰσεῖ rem quamvis con-
 servat & tuetur.

ἐκθ. 3. Id ipsum quoq; exigunt facultates doctrinâ imbuen-
 dæ. Ordine sanè mirificè juvatur Memoria, ut ex illâ Simonidis
 constat Historiâ, qui primus artem memoriæ ostendens, triclinio supra
 convivas corruente, atq; ita contudente & confundente, ut non ora mo-
 dō oppressorum, sed membra etiam omnia requirentes ad sepulturam pro-
 pinqui nullâ notâ potuissent discernere, nisi hic memor ordinis, quo quisq;
 discubuerat, corpora suis reddidisset: ut tradit Quintil. Instit. l. II.
 c. 2. Intellectus noster ab uno ad alterum discurrens, Metho-
 dum poscit, ac Judicium, nisi decentem rerum ordinem obser-
 ves, formari nequit. Hinc multâ Lectiōne præditis, si rem quam-
 libet suo non digesserint ordine, sæpenumerò illa multa notitia
 magis obesse quàm prodesse conspicitur, ac is, qui de distinctis distin-
 ctè suam formare & firmare potest sententiam, multis parafangis
 eum, qui omnia confuso novit agmine, præcellit. Et in ἐπι-
 διδάξει hoc vitium culpatur communissimè, quod multa qui-
 dem corradant, confarciant, & conferciant, sed illa plerumq;
 genuinâ careant Methodo, & hinc suam doctrinam aliis felici-
 ter communicare nequeant.

ἐκθ. 4. Nihilominùs tamen sæpenumerò contingit, ut
 nonnulli Præceptores, suâ ducti ἀγχινοία, in informatione e-
 gregiam teneant Methodum, qui tamen nec ipsum vocabulum
 Græcum, nec ejus naturam, in actu scilicet signato, habent perco-
 gnitam. De his idem ac de Logicâ Naturali & Artificiali, de Na-
 turali facundiâ & eloquentia pronunciandum, nulliq; dubitan-
 dum est, horum ipsorum Naturam, quæ tam facili Minervâ



ad id doctrinæ enititur, insigniter ab ipsâ arte juvari & perficî potuisse.

ἐκθ. 5. In Informatione autem Scholasticâ non tam urgemus *Methodum præcisè & abstractivè consideratam*, seu quid ipsa *Natura Methodi* in genere postulet, quàm *concretivè Spectatam*, prout in hac vel illâ disciplinâ suo ordine tradendâ versatur. Proinde ut hanc Quæstionem solidius Juventus intelligat, repetat observationem ab Excell. Dn. D. Calovio p. 608, Script. Philosoph. de vocis Homonymiâ appositam.

ἐκθ. 6. Et hoc ipsi Apostoli in divinarum rerum notitiâ ordine proponendâ observari voluerunt; quod locus insignis docet Hebr. V, 12, 13, 14, καὶ γὰρ ὁφείλοντες εἶναι διδάσκαλοι διὰ τὸν χρόνον πάλιν χρειαν ἔχετε τῷ διδάσκειν ὑμᾶς τίνα τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τῶ θεῷ, καὶ νεγόνετε χρειαν ἔχοντες γάλακτι, καὶ ἔσσερεᾶς τροφῆς. πᾶς γὰρ ὁ μετέχων γάλακτι, ἀπειρῶ λόγῳ δικαιοσύνης, νήπιος γάρ ἐστι. τελείων δὲ ἐστὶ ἡ σσερεᾶ τροφῆ, τῶν διὰ τὴν ἔξιν τὰ αἰδητήρια γεγυμνασμένα ἔχόντων, πρὸς διάκρισιν καλεῖται κακῶ. Vulgata. Etenim cum deberetis Magistri esse propter tempus, rursus indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei, & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ: parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensûs ad discretionem boni ac mali. Sic. I. Cor. III. v. 6. ἐγὼ ἐφύτευσα, ἀπολλὼς ἐπότισεν, ἀλλ' ὁ θεὸς ἤρξανεν. Ego plantavi, Apollo rigabit, Deus incrementum dedit: & v. 10. κατὰ τὴν χάριν τῶ θεῷ τὴν δοθεῖσάν μοι ὡς ὁ σοφὸς ἀρχιτέκτων θεμέλιον τέθεικα, ἄλλο δὲ ἴσσοικοδομεῖ. Ἐκαστὸς δὲ βλέπειτω, πῶς ἐποικοδομεῖ. Vulgata: Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posuis, alius autem superædificat. Unusquisque autem videat, quomodo superædificet.

ἐκθ. 7. Quin imò in Theologicis tanta est Ordinis utilitas, ut si quis genuinam Articulorum fidei seriem probè calleat



calleat, alterum quoq; ex altero fidei articulo facilius & profundius brevi consequatur, ac ἀνάδευτον magno temporis & doctrinæ solidæ intervallo antevertat. Proinde hanc Methodi necessitatem & utilitatem Magnus noster Chemnitius in Commendatione Locorum Communium, communis Germaniæ Præceptoris, Philippi Melancthonis hæc verbis collaudat: *Alphonus Hispanus integrum Librum opposuit his locis, & invectivas illas inscripsit Philippicas. Is dicit Philippum idem esse Luthero, quod Torquatus apud Ciceronem Epicuro. Quia ejus dogmata propriis, & accommodatis verbis illustret, & methodicâ explanatione faciat ita perspicua & firma, ut plusnoceat regno Pontificio, quàm reliqua omnia Lutheranorum Scripta.* p. 29 parte I. Loc. Theolog.

Theorema II.

Methodus in genere à diversis diversimodè definitur. Dn. D. Calovius hanc tradit descriptionem: *Methodus est processus in rerum pertractatione ordinatâ.* Qui processus ordinatus etiam observandus est cum primis in iis materiis Theologicis, quæ agunt de decretorum divinorum ordine, quoad nos spectato, quadruplici hominis Statu & similibus, ex quorum confusione difficultates enascuntur maximæ. Nec tamen in eam concedo sententiam, quasi ipse Deus, infinito lumine intuens omnia, ordinem intentionis *Practica* tueatur, ac prius sibi præfigat *finem*, deinceps de *mediis* cogitationem suscipiat, quod in nostrâ discursivâ contingit notitiâ: Aut Apostoli à fine quoq; animæ Rationalis, quòd ille sit æterna beatitudo, ad media hunc assequendi in Catecheticâ informatione infidelium processerint. Diversum enim ipsorum Praxis testatur in Actis Apostolicis.

Ex J. 1. De variis *Methodi* Definitionibus consules
Seminarium Philosophiæ Aristotelicæ & Platonice à Johanne Baptistâ
Berz



Bernhardo editum p. 339. Nos nostri Domini Antecessoris retinimus descriptionem, cui Methodus est processus in rerum pertractatione ordinatâ: Et ordinatum ab eo sic explicatur p. 609. *Philos. Script: Ordo animat præcepta, & plura ad unum revocando inter se colligat, ut ipsis ad unitatem redactis & vinculo quodam sororio colligatis amabilitas concilietur.*

Ex 9. 2. Procesum verò ordinatum in Theologicarum rerum tractatione quoq; probè tenendum esse, ac quo quid loqueretur ordine, multum interesse, ex multis fidei constat capitibus. Sic in doctrinâ de æternâ hominis salute nemo rectâ viâ poterit progredi, nisi in Decreto DEI, quod ratione actûs divini unum in DEO est, sed ratione objectorum dici potest multiplex, ordinem, quo se invicem objecta sequuntur, probè expenderit. Nos Lutherani horum Decretorum executionem intuentes 1. Creationem 2. Creaturæ in Adamo lapsæ per Christum restorationem 3. Salutis restauratæ per divina media applicationem, & 4. eorum, qui per fidem Christi meritum sibi constanter applicant, glorificationem statuimus, à DEO decretam fuisse. Quod Excell. Dn. D. Hülsemannus nervosè ex Rom. 1, 20. Luc. XXII, 22. 37. c. XVIII, 31, c. XXIV, 46, 47. 1 Petri I, 10, 11, 20. Actor. II, 23, 24. 25, 30, 31. c. IV, 27, 28. probat Extensione Breviarij c. 15. Thesi 2. p. 230. Confer etiam Meditat. Vol. DEI Disp. 2, Thesi 1. a me habitam. Hoc Reformati minùs attendentes in diversas scinduntur opiniones & Classes, tum Scripturæ, ac in eâ fidei Analogiæ, tum sibi ipsis contradicentes, ut Thes. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11. Disp. II. Meditat. Vol. divinæ ostendi. Cum quâ conferri potest Quæstio 32. Disp. Classis Secundæ. Hinc Formula Concordiæ in solidâ Declaratione divinum consilium & propositum è divinis literis describens, octo in eo, certo ordine sequentia, attendit p. 802.

Ex 9. 3. Similiter quando de viribus liberi arbitrij cum Pelagianis, Pontificiis, Synergistis, Arminianis & Socinianis disputatur, eadem Formula Concordiæ tam in Epitome p. 578. quàm in solidâ Declaratione, voluntatem secundum quadruplicem Statûs considera-

siderationem, primò ante lapsum, secundò post lapsum, tertio post re-
generationem, quartò post resurrectionem carnis spectari, & dicta,
de quo statu hominis loquantur, examinari jubet. Quà di-
stinctione multa Scripturæ dicta à Quæstionis controversæ
statu prorsus aliena ab Adversariis citari ad oculum depre-
hendimus. Et sic in cæteris quoq; fidei capitibus Metho-
dica rerum pertractatio difficultatem imminuit, ac multas
Adversariorum Strophas sua sponte dissolvit.

ẽx 9. 4. Hoc tamen non eò trahendum est, quasi ipsi
DEO quoq; ordo intentionis practicæ (qualis in consiliis & opificiis
humanis iniri solet, ut primam certus finis præfigatur, & deinceps de
mediis eò conducentibus cogitatio suscipiatur) citra Scripturæ Autori-
tatem præviam assignetur, quod Excell. Dn. D. Hülsemannus in
Extensione Breviarij ex causâ hujus ordinis humani in DEO
negatâ, videlicet finitâ & dubiâ tum notitiâ finis, tum po-
tentiâ assequendi eum, quæ in Deum infinitum, omniscium
& omnipotentem non cadit, egregiè dilucidat in Extens.
Breviarij c. 15. p. 232. Confer. Meditat. Vol. Div. Disp. 2.
Thesi I. ẽx 9. 10.

ẽx 9. 5. Consimilem Observationem laudatus Dn. D.
Hülsemannus de Apostolicæ prædicationis ordine posuit c. 9.
p. 112. Extensione Brev. A fine Naturali animæ rationalis, quod ille
sit æterna beatitudo, ideoq; cogitandum sit homini de mediis assequendi
hunc finem; nemo unquam Apostolorum Catechesin fidelium exorsus
est. Id quod multis exemplis ex Actis Apostolicis confirmat
p. III. & 112. Ordinem igitur aliquem, licet in rebus Theo-
logicis quoq; observandum esse asseramus, non tamen eò fini-
tâ & discursivâ nostri animi notitiâ vel prolubio, sed Scriptu-
rarum divino testimonio de eò dijudicemus.

Theorema III.

Non facile quisquàm Methodum Scholasticam præ-
fertim tenellæ adhuc ætati fructuosam potest scribere,
ac ad certam amussim & regulam à se inventam omnia
B exigere,

exigere, nisi ipse prius vires pueritiæ & adolescentiæ non in uno tantum, sed in pluribus vel explorarit, vel à Præceptore industrio, diu Juventutis informationi cum fructu præfecto, cognoverit. Hinc etiam in Informatione Theologicâ non tam ad docentis doctrinam profundiorē, quàm discantis capacitarē respiciendū est.

Ex. 1. Sicut in communi morborum genere curando in *Urbe* Amplissimâ nulla societas, nulla familia, nullaq; ferè domus reperitur, ex quâ non consilium de *ventriculo* corroborando, & *Cephalalgia* vel *odontalgia* leniendâ proferatur. Sic in *Orbe* literario nemo non de Juventute rectiùs informandâ & morbis Scholarum curandis utramq; potest facere paginam: Sed ubi ad rem perventum est, & Medicina utrinq; fieri debet, & in *Urbe & Orbe* consilium felici caret successu, ac licet huic malo medeatur facilius, noxâ tamē contrahit alibi graviolem. Proinde res utrinq; iis committenda est, qui & doctrinâ instructi sunt, & illic corpora, hic animos habent exploratos, ex multo rerum usu intelligentes, quæ ingeniorum sit diversitas, quæ etiam adolescentia capere possit, & quo ordine brevius & facilius aliquid tenellæ ætati proponatur. Ingeniosa quidem sæpenumerò *Methodus* excogitatur, & à pueris exiguntur ea, quæ vel parùm solida sunt, vel minus necessaria, vel captu illorum superiora, & ab omni quidem optari, vix autem à Viris, multo rerum usu exercitatis, præstari possunt. Verùm si deinceps illa in Scholis adhibeatur, nec docentes, qui id dextrè capiant, & parili solertiâ suis proponant, nec discentes, qui solidum exinde fructum percipiant, reperiuntur. Qui aquas odoratas vel oleum vasi gestit infundere, nihil deperditurus, orificij amplitudinem, non in omnibus vitris æqualem, attendit. Sic in omni doctrinæ genere, quo Juventus imbuenda est, ad ingenij capacitatem nostra flectenda est Institutio.

Ex. 2. Quod autem in pueris usu venit, idem etiam in communi *plebecula*, quæ ruditatem, in pueris faciliùs adhuc corrigi-



corrigibilem, annorum multitudine roboravit. Quocirca si
 utriq; *Doctrina Catechetica* instillanda est, non eâ *Methodo*, quâ
 Institutiones Theologicae per Definitiones, & Scripturae dicta,
 prolixiora etiam interdum, in *Academiis vel Gymnasiis Academicis*
 proponuntur, hæc tradenda est, sed de verbis, è Catechesi
 Lutheri prolatis instituat inquisitio, quâ, vel leviter atten-
 denti, facili & cuivis naturâ veluti notâ resolutione verba
 verborumq; sensus exquirantur. Et sic Apostolus se quàm ma-
 ximè ad captum suorum etiam in fide infirmorum submitte
 scribens 1. Cor. IX, 22. *ἐγενόμην τοῖς ἀδυνάτοις ὡς ἀδύνητος,*
ἵνα τὰς ἀδυνάτους κερδήσω: τοῖς πᾶσι γέγεννα, τὰ πάντα, ἵνα
πάντως τινὰς σώσω. Vulgata. *Factus sum infirmis infirmus, ut*
infirmos lucrificarem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem
salvos. Qua propter neminem pœniteat in doctrinae Chri-
 stianæ inculcandæ modo cum *pueris quasi repuerascere, & vulgo*
vulgari ratione, ac piscatoriâ simplicitate, magna fidei my-
steria explicare.

Theorema IV.

Præprimis verò cautio adhibenda est sedula, ne quid
 sanæ doctrinae adversum, aut alioquin falsa & perniciofa
 hypothesis, vel ipsi *Methodo Scholasticae, vel Libris*
Scholasticis, Juventuti legendis, inseratur, multò minùs
ab ipso Præceptore instilletur: Vix namq; aliquis majore
infortunio Ecclesiam & Rempublicam mactare potest,
quàm si fontes hos Scholasticos, ex quibus omnes tres
Hierachia promanant, sui erroris inficiat veneno.

ἐκδ. I. Sunt qui susq; deq; habentes Scholastica, parum
 interesse putant, quos Adolefcens libros evolvat, ubi *Lingvas,*
Artes, vel Philosophiam addiscat, dummodò præ cæ-
teris proficiat, ac ad Eruditionis humanæ Scopum, quem in-
tendit, perveniat. Hinc Juventutem adhuc tenellam in
Scholas etiam eas, in quibus non limpide fluunt fontes Isra-
elis, ablegant, vel viris illis committunt, qui ἠνοήτως



ὕγιαίνοντων λόγων, Vulgata: *formam sanorum verborum non habent.* 2 Tim: I. 13. Quæ vana persuasio periculo non caret maximo. Si quid enim toxicum libris in illis contineatur, quàm facillè potest imprudentem & tenellum animum corrumpere, non secùs, ac cibus ori ingestus, si insalubris sit, teneram valetudinem vel insperato attentat. Præferim si hujusmodi scripta sint, quæ vel morum spurcitiæ secum vehunt, vel doctrinæ, vel affectibus, quibus hæc ætas est obnoxia, frena laxant. Quale est illud Terentianum, *Adelph. Act. I. Sc. II.*

*Non est flagitium (mibi crede) adolescentulum
Scortari, neq; potare, non est, neq; fores
effringere, hæc si neq; ego, neq; tu fecimus,
non sivit egestas facere nos. Tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum fecisti inopiâ.*

Et sic, quid amatoris libris & fescenninis versibus, qui tamen plerumq; juventutis teruntur manibus, adolescenti ad libidinem proclivi potest esse pestilentius? Eadem ætati huic hæreticorum librorum est ratio, in quibus, si non judicij jam sis confirmati, cum verborum vel aliarum rerum notitiâ hæreticos sordes in animum facillè possunt influere, in eorû eam errorum sentinam relinquere, ut per omnem deinceps ætatem animi pii turbent tranquillitatem. Hinc in Scholis benè constitutis libri, de morum vel doctrinæ pravitate, suspecti, Juventuri rectè interduntur.

ἐκθ. 2. Si hæc à malæ doctrinæ libris, quos *mutos* dixeris *Magistros*, pericula metuenda sunt, quæ à vivis & spirantibus *Magistris* non formidanda? Nam quò quis discentem amore interiore prosequitur, eò lubentiùs doctrinæ suæ semina communicare *cupiet*, & quò majore antecellit doctrinâ, eò faciliùs & cautiùs *poterit*. Hinc Adolescentes ex Hæreticis docentibus bonis in literis profecturi, è flammâ cibura mihi petere videntur, ac sæpenumerò humanæ sapientiæ lucellum æternæ beatitudinis jacturâ solent redimere. Proinde omni ætati, cum maximè verò infirmæ adhuc, inclamandum est illud Pauli ad Titum c. III. 10, 11. αἰρετικὸν ἀνδρα-

πρω

πον μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νεθεσίαν παραιτῶ, εἰδὼς ὅτι ἐξέ-
 στραπται ὁ τοιοῦτος, καὶ ἀμαρτάνει, ὡν αὐτοκατάκριτος. Vulga-
 ta: Hereticum hominem post unam & secundam correptionem devita:
 sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit pro-
 prio iudicio condemnatus. I. Cor. V, 6. μικρὰ ζυμὴ ὅλον τὸ
 φέραμα ζυμοῖ. Vulgata: Modicum fermentum totam massam
 corrumpit. II Cor. VI, 14, 15. μή γίνεσθε ἑτεροζυγῶντες ἀπίστοις,
 τίς γὰρ μετοχὴ δικαιοσύνη καὶ ἀνομία; τίς δὲ κοινωνία φωτὸς
 πρὸς σκότος; τίς δὲ συμφώνησις χριστῶ πρὸς Βελίαι; ἢ τίς με-
 ρίς πιστῶ μετὰ ἀπίστων Vulgata: Nolite jugum ducere cum
 infidelibus. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae
 societas lucis ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial?
 aut quae pars fideli cum infideli? II. Tim. II, 16, 17. τὰς βεβή-
 λας κενωφωρίας περιτῆσσο, ἐπὶ πλείων γὰρ προσκλύψουσιν ἀσε-
 βείας. καὶ ὁ λόγος αὐτῶν ὡς γάγγραινα νομὴν ἔχει. Vulgata:
 Profana autem & vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad im-
 pietatem: & sermo eorum ut cancer serpit. Et quod ex Poetâ
 Gentili Menandro citat Apostolus I Cor. XV, 33. φθείρουσιν
 ἡδὴ καὶ ὁμιλίαι κακαί. Vulgata: Corrupt mores bonos
 colloquia mala.

ἐκθ. 3. Cum primis autem cavendum est ab Hæreticorum
 falsis Hypothesibus, ex quibus in Scripturæ interpretatione de-
 inceps omnia bonæ Interpretationis media pervertuntur, limi-
 tantur, corrumpuntur. Sic qui cum Bellarmino hoc tuetur
 principium: Tomo I. Controversiar. l. 3. c. 3. de verbi Dei inter-
 pretatione, Scripturam esse obscuram & Interprete indigere;
 Judicem verò veri sensûs Scripturæ & omnium Controversia-
 rum esse Ecclesiam i. e. Pontificem cum Concilio, in quo om-
 nes Catholici conveniunt, vel in ultimâ Analyfi solum Ponti-
 ficem: aut cum D. Victorino Strigelio Epist. I. de Cœnâ
 Domini, τὸ εἶναι Christi in Cœnâ posthabendum statuat, qui
 Epist. I. scripsit: *Quemadmodum Hippocrates præcipit, ut Medicus
 dextro oculo ad naturam, sinistro ad artem respiciat: Ita ego tibi hor-*



torat sum, ut non tantum verba cœne consideres; sed multò magis con-
 versus sis animo & cogitatione ad totum corpus doctrinæ Christianæ &c.
 Et sic deinceps τῶ ἐν τῶ Testamenti Christi proprietatem hu-
 manæ Naturæ, & ascensionem Christi in Cœlum opposuit &c.
 Ant cum Socino de Satisfactione Christi part. 3. de Serva-
 tore Christo c. 6. Ego quidem, etiam si non semel, sed sæpè id in mo-
 numentis sacris scriptum extaret, Christum pro peccatis nostris divinæ
 justitiæ satisfecisse, non idcirco tamen rem pro suis ita se habere crede-
 rem, ut vos opinamini. Ea, quæ fieri non posse, apertè constat, di-
 vinitus etiam Oraculis, ea facta esse, in specie attestantibus, nequaquam
 admittenda esse, & idcirco sacra verba in alium sensum, quam ipsa so-
 nant, per inusitatos etiam tropos quandoq; explicanda esse; aut cum
 Smalcio hanc profanam & impiam animo induat opinionem
 Homil. 8. in cap. I Joh. p. 89. Credimus, etiam si non semel atq;
 iterum, sed satis crebrè & apertissimè scriptum extaret, Deum esse
 hominem factum, multo satius esse, quia hæc res sit absurda & sana ra-
 tioni planè contraria & in Deum blasphemica, modum aliquem dicendi
 comminisci, quo ista de DEO dici possent, quàm ista simpliciter, ut ver-
 ba sonant, intelligere. Is sane, tropo aliquo de arte quæsito non ra-
 tionem suam sub Christi obedientiam captivam ducet II Cor. X,
 5. in Articulis fidei, (non humanâ, sed divinâ auctoritate,
 non exquisitâ demonstratione, sed fidei πληροφωρίῃ nitentibus)
 Vocem Cœlestis Patris audirurus, quando è cœlo clamavit:
 Hic est Filius meus dilectus, hunc audite, Matth. III, 17. & c.
 XVII, 5. nec fidele Christi monitum semper observabit Luc.
 XXIV, 46. ἔγω γέγραπται, καὶ ἕως ἔδει παθεῖν τὸν χριστὸν,
 καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. Sic Scriptum est, &
 sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis terciâ
 die; Et quod Joh. XX, 31. ταῦτα γέγραπται, ἵνα πισεύσητε
 Hæc scripta sunt, ut credatis, &c.

Theorema V.

Methodum semel scriptam & in Scholis usitatam
 iterum iterumq; innovans, docentes & discentes non
 parùm confundit, ac profectus speratos remoratur. Si-
 cut

ent & omnis cura ac cogitatio de *optima quacumque* Methodo vana & inanis est, nisi in Praxi à doctis, indefessis & Methodi gnaris Præceptoribus strenuè urgeatur. Idem. D. Lutherus in doctrinâ exigit Catechetica: & in Theologiâ maximè necessarium est, tali inhærere Methodo, quæ præprimis Thesin suam statuminet, scripturæ dictis innitatur, librisq; Symbolicis ita conveniat, ut non solum cum matre Ecclesiâ piè, sentiat, sed & rectè loquatur.

ἐκθ. 1. De Hippodamo Milesio hoc refert *Aristoteles* l. 2. Politicorum c. 9. ἐπίθει νόμον περὶ τῶν εὐρισκόντων τι τῇ πόλει συμφέρον, ὅπως τυγχάνωσι τιμῆς; *Ferebat legem de iis, qui uti-
le quippiam civitati reperissent, ut honoribus afficerentur.* De quâ sententiâ deinceps Philosophus pluribus disputat, ac crebram Legum mutationem Reipublicæ minùs conducere prævidens, addit: ἐκ εἶν ἀσφαλές τὸ νομοθετεῖν, ἀλλ' εὐόφθαλμον ἀκῆσαι μόνον. *Non est tutum lege cavere, sed apparentiam solum probabilem habet.* Et paulò post μὴ συμφέροι κινεῖν, non conducit mutare. Hinc insuper sibi objicit: ἐπὶ τῶν ἄλλων ἐπισημῶν τῆτο συνενήνοχεν οἷον ἰατρικὴ κινῆθεισα παρὰ πάτρια, καὶ γυμναστικὴ, καὶ ὅλως αἱ τέχναι πᾶσαι καὶ δυνάμεις. ὡς ἐπεὶ μίαν τῆτων θετείων καὶ τὴν πολιτικὴν, δηλονότι καὶ περὶ ταύτην ἀναγκάσιον ὁμοίως ἔχειν. *b.e. Aliis Scientiis hoc prodest, ceu si Medicina ab institutis Patriis mutetur, & gymnastica, & alie artes atq; facultates, quarum cum una ponenda sit civilis disciplina, patet in eâ quoq; eandem rationem esse tenendam: ac ad illud respondet.* ψευδὲς καὶ τὸ παράδειγμα τὸ περὶ τῶν τεχνῶν. ἔ γὰρ ὁμοίον (τὸ) κινεῖν τέχνην καὶ νόμον. ὁ γὰρ νόμος ἰατρικὴν ἔχει πρὸς τὸ πείθεσθαι, πλὴν παρὰ τὸ εἶθε. τῆτο δὲ ἔ γίνεται, εἰ μὴ διὰ χρόνος πλῆθος, ὡς τὸ βασιλεὺς μεταβάλλειν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων νόμων εἰς ἑτέρας νόμους κινεῖται, ἀθετῆ ποιῶν ἐστὶ τὴν τῶ νόμων δυνάμειν. *Mendax & de artibus exemplum. Neq; enim simile est mutare artem atq; Legem. Nam Lex nul-*

lem



lam vim habet, ut ipsi pareatur, nisi ex more: Mos autem non fit nisi temporis longitudine. Quare faciliter mutare Leges ex presentibus in alias novas, infirmam facere est vim legis. Ex his Methodi Scholasticæ mutationem Hippodamus laudibus evehere, illamq; Philosophus ipse concedere videtur, dummodò Leges suæ Reipublicæ firmas & antiquas servet.

ἐκ θ. 2. Nec nos eos laude suâ spoliandos esse censemus, quæ Reipublicæ literariæ nonnihil conducibile reperiunt, ipsiq; errores in Scientiis, Artibus, & Facultatibus, rectâ ratione prælucente, & experientiâ concurrente, corrigendos esse, toto pectore svademus: Sed in totâ Methodo Scholasticâ, vel insigni ejus parte, jam benè confirmatâ, sine spe commoditatis, facili & felici successu probandæ, evidentissimâ, variandâ, hoc ipse dixerim: ἐκ ἀσφαλῆς, ἀλλ' ἐὺσφάλμων. Non tutum est, sed apparentiam habet probabilem. Novellæ namq; Methodi Scholasticæ Conditores, quum pleriq; in inferioribus hæreant, non tam rerum veritatem, cui semper cedat falsitas, ut in Disciplinis superioribus, quàm discendi facilitatem & commoditatem intendunt. Quam ut Methodus noviter excogitata consequatur, non hominis per noctem speculatio, sed diuturna praxis requiritur. Proinde res magnæ difficultatis erit, Præceptores, qui jam in pulvere consenuerunt Scholastico, novæ Methodo refingere, ac ipsos sic instruere, ut veterem institutionem, cui velut in naturam transeunti à teneris consueverunt, dediscant, & annis jam grandiores facti, huic novellæ toti rigidas suas cervices componant. Ipsa bruta & plantæ nos docent, ea, quæ annorum multitudine jam roborata sunt, non ita regi ac flecti posse. Deficiente verò Præceptorum, in certâ Methodo probè eruditorum indefessâ operâ & industriâ, illius etiam quàm optimæ fructus deficit omnis: Quod in Nova Methodi introductione præprimis attendendum est; Nec etiam Juventuti salutaris est, si modò nutrimentum corpori nostro proficuum respiciamus. Si enim valetudo facilè ex crebrâ cibi mutatione læditur, ac venterculus non ratione, sed sensu tractus, escarum novitate corrumpitur: Quantò majore afficietur periculo Juventus, cujus animo
alia

alia atq; alia διὰ Θεοῦ imprimitur, ac in quâ illa, quæ per *pravam dispositionem* est, *simplice* deterior est ignorantia. Proinde totalis Methodi Scholasticæ immutatio, præsertim si *simul & semel* introducatur, Legum fundamentalium in Republicâ immutationi non videtur dissimilis, ut illud, de Legum mutatione ab Aristotele petitur, non malè Scholasticis quoq; applicare possis præceptis: ἔταστων ἀφελήσεται κινήσας, ὅσον βλαβήσεται τοῖς ἀρχαῖον ὡπειθῆν ἐδιδέει. Non tantum proderit, qui corrigere perget, quantum nocbit asvescētia superioribus non parendi.

ἐκθ. 3. Dixi immutationem Methodi vel totalem, vel etiam insignis ejus partis actu *simultaneo* non esse tentandam. Hoc verò non nego, *Successivè* fieri & posse & debere, si quid minùs conducere videatur. Quod enim vicissim Aristoteles dicit de Republicâ libro 2. Polit. c. 8. ὡσπερ καὶ περὶ τὰς ἄλλας τέχνας καὶ τὴν πολιτικὴν τάξιν ἀδύνατον ἀκριβῶς πάντα γραφῆναι. Καθόλου γὰρ ἀναγκαῖον γραφῆναι. αἱ δὲ πράξεις περὶ τῶν κατ' ἕκαστόν εἰσι. Ut in aliis artibus, sic etiam circa civilem constitutionem impossibile est singula ad minimum usq; scriptis comprehendere: necesse est enim ut generaliter scribantur: actiones autem circa singularia fiunt. Idem etiam contingit in Institutione Scholasticâ, ubi, *Generali licet Methodo* satis etiam cordatè præscriptâ, dies diem docet, quæ magis sint è juventutis commodo, quibusq; faciliùs & promptiùs adhærescat vel juvetur. Et mutatio illa, quæ *senfim* arripitur, in corpore humano, Politico & Scholastico minoribus alterationibus est obnoxia.

ἐκθ. 4. Id quod *Megalander Lutherus*, Visitationibus Ecclesiarum institutis, & peractis, in doctrinâ deprehendit *Catecheticâ*. Hinc in Enchiridii Catechetici Præfatione Anno M.D.XXIX. confectâ sic scribit; Tom. 8. Jenensi p. 381. Darumb bitte ich umb Gottes willen euch alle meine lieben Herren und Brüder / so Pfarrherr oder Prediger sind / wolleet euch eueres Ampts von Herren annehmen / euch erbarmen über euer Vösel / das euch befohlen ist / und uns helfen den Catechismus in die Leu-



re/ sonderlich in das junge Volck bringen / und welche es nicht bes-
ser vermügen/ diese Tafeln und Forme für sich nehmen/ und dem
Volck von Wort zu Wort fürbilden/ und nehmlich also. Außs
erst, daß der Prediger für allen Dingen sich hütet/ und mende man-
cherley oder anderley Text und Form der Zehen Gebot/ Va-
ter unser/ Glauben/ der Sacrament etc. sondern nehme ei-
nerley Form für sich/ darauffer bleibe/ und dieselbige immer
treibe/ ein Jahr/ wie das ander. Denn das junge und alber Volck
muß man mit einerley gewissen Text und Formen lehren/ sonst wer-
den sie gar leicht irre/ wenn man heut sonst/ und über ein Jahr so
lehret/ als wolt mans bessern/ und wird damit alle Müß und Ar-
beit verlohren. Das haben die lieben Väter auch wol gesehen/ die
das Vater unser/ Glauben/ Zehen Gebot alle auff eine Weise ha-
ben gebraucht. Darumb sollen wir auch bey dem jungen und Ein-
fältigen Volck solche Stücke also lehren/ daß wir nicht eine Syl-
laben verrücken/ oder ein Jahr anders/ denn das ander fürhal-
ten oder fürsprechen. Darumb erwähle dir/ welche Form du wilt
und bleib dabey ewiglich. Wenn du aber bey den Gelehrten
und verständigen predigest/ da magstu deine Kunst beweisen/ und
diese Stücke so bundt krauß machen/ und so meisterlich drehen/ als
du kannst. Aber bey dem jungen Volck bleib auff einer gewissen
Form und Weyße.

*ex 9. §. Idem quoq; maximoperè necessarium est in ipsa
jam Theologicâ Institutione, ut uni certâq; Methodo te to-
tum tradas, Scripturæ dictis addictus, ante omnia Thesin tu-
am statumines, ac Te libris Symbolicis & aliorum Theologo-
rum scriptis conformes. De quo alter Martinus Lutherus,
D. Martinus Chemnitius, hanc observationem hodie vel unione
notandam nobis reliquit, Parte 1. Loc. Theolog. p. 29. Vidit
nostra etas multa satis tristia exempla eorum, qui animum induxerunt,
novis Phantasias Ecclesiam turbare, qui plerumq; idem faciunt, quod Geo-
metra. Illi enim ut sua quadam habent circûscripta: Ita quoq; ipsi
primam omnium hoc postulatum aggrediuntur, convellendâ scilicet ista-
lam simplicem puritatem doctrinæ, ordine & Methodo in hoc Scripto ex-
positam. Et mox ubi hæc doctrinæ metas perreperunt, catervatim pro-
cedunt*

deunt absurdissimarum opinionum monstra: & sicut Virgilius in descriptione tempestatís inquit:

Quá data porta ruunt, & terras turbine perflant,
Eripiunt subito nubes cœlumq; diemq;

Hæc ideò annotavi, ne imitemur eorum petulantiam, qui magnam ingenii laudem putant esse, in formâ doctrinæ mediocriter constitutâ nunc hanc, nunc illam partem posse labefactare, sicut semper facilius est in ædificio benè exstructo aliquid reprobare, imò etiam turbare, quàm in illo ordine & quasi coagmentatione conservare, non dico jam de novo exstruere. Sed existimemus tunc nos multùm profecisse, quando collatis Veteris Ecclesiæ certaminibus, & præcipuè consideratis nostri temporis controversiis, intelligimus, quo consilio Methodus hæc vel illâ ratione constituta sit.

ἐν θ. 6. Dixi porrò Scripturæ dictis addictum, ante omnia Thesin suam statuminare, ac in suâ Orthodoxyâ, antequam ad ipsa hæreticorum Scripta provellet, corroborari debere. Qui enim καλὸς διάκονος & bonus minister Jesu Christi futurus est, ille sit ἐν τρεφόμενος τοῖς λόγοις τῆς σοφίας, καὶ τῆς καλῆς διασκαλίας, innutritus, vel ut Vulgata habet, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ 1. Tim. IV, 6. Hinc Paulus in Timotheo suo, à puero Scripturas sciente hoc commendat, quod ipse πιστῶς firmisimè fundatus sit. Σὺ δὲ μένη, ἐν οἷς ἐμάθησ, καὶ ἐπιστῶς. Vulgata reddidit: Tu verò permane in his, quæ didicisti, & Tibi concredita sunt. Quam sequitur D. Lutherus. Du aber bleithe in dem/ das du gelernet hast/ und dir vertrauet ist. Sic etiam Beza: At tu maneto in iis, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt. Sed D. Gerhardus in Notis suis in hanc Epistolam & hunc locum p. 65. istam κρείων apposuit: καὶ ἐπιστῶς Rom. 3. v. 2. Gal. 2. v. 7. 1. Tim. 1. v. 11, quâ ratione hæc exhortatio esset eadem cum precedente 1. Tim. 6. v. 20. 2. Tim. 1. v. 14. Quidam sic exponunt: Permane in iis, quæ credita sunt à te, i. e. quæ credidisti, ac plenâ fide suscepisti. Sed Apostolus non dicit ἐπιστῶς, vel ἂ ἐπίστυσας, sed ἐν οἷς ἐπιστῶς, h. e. ἐπίστωσ, ἐπιστῶσ, ut interpretatus est Hesychius accommodatissimè



me ad Pauli sententiam & loquendi consuetudinem. Majus quippe
 est πιστεύειν, plenè certiorari aut certum esse, quàm in genere didi-
 cisse. Sic ergò vertendum, & quorum firma s. plena fides tibi facta est,
 de quibus Βεβαιώθης confirmatus vel stabilitus es, ut Syrus reddidit.
 Subjuxit verò Paulus causam hujus certitudinis istam: ἐδάς
 παρὰ τὴν ἑμάδες, sciens, à quo didiceris; nimirum non ab iis,
 qui sunt πλανῶντες καὶ πλανώμενοι v. 13. Vulg. errantes & in
 errorem mittentes. D. Luth. verführen und werden verführet; Sed
 à Paulo Θεοπνεύσω, qui in hac posteriore Epist. c. 1, 11. de sua
 divinà vocatione sic gloriatur: ἐς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κηρύξαι καὶ Ἀ-
 πόστολος, καὶ διδάσκαλος ἐθνῶν. In quo positus sum ego præ-
 dicator, & Apostolus & Magister Gentium: Qui suæ deinceps fi-
 dei certitudinem ipse describit: Ob quam causam etiam hac pa-
 tior: sed non confundor. Scio enim, cui credidi & certus sum, quia po-
 tens est depositum meum servare in illum diem. Ac id doctrinæ
 hinc suo Timotheo commendat v. 13. ὑποτύπωσιν ἔχει ὑγιαίνον-
 των λόγων, ὧν παρ' ἐμῆ ἡμετέρας ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ, τῇ ἐν Χρισ-
 τῷ Ἰησοῦ. Vulgata per participium transfert: Formam habens
 sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo
 Iesu. Idem inculcat c. II, 1, 2. post: Epist. Tu ergò, mi fili, ἐνδύ-
 ναμῆς, Vulg. confortare in gratiâ, quæ est in Christo Iesu: Et quæ
 audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui
 idonei erunt & alios docere. Quomodo verò aliquis solidari
 possit, egregiè monet Magnus noister Chemnitius p. 35. parte 1.
 Loc. Theol. Quia singuli Articuli fidei, in certis Scripturæ locis &
 sententiis suam quasi propriam sedem habent, videndum & discendum
 est, quanam illa Scripturæ testimonia sint, in quibus vera cujusq; loci
 sententia solidè fundata est. Nec putemus consequi eum magnam inge-
 nii laudem, qui relictis propriis & perspicuis, ludat Paradoxis. In il-
 lis verò testimoniis, quæ propria, firma & perspicua sunt, non tantum
 verba discimus sonare: sed genuina sententiæ Emphasis scrutanda est,
 ex Grammaticâ vocabulorum significatione, & reliquis circumstantiis,
 ut ipsos nervos in testimoniis teneamus. Omnino enim cognoscendum
 est, quomodo & quâ ratione testimonia adhibeantur: vel ad confirma-
 tionem

tionem verae sententiae, vel quomodo in refutatione adversarij firmiter & solide opponi possint. Hactenus Chemnitius, quem beatissimo Dominus D. Henricus Höpferus, Dominus Praeceptor meus honoratissimus, nobis Theologiae tum temporis operam navantibus frequentissime commendavit, ac Dominus Doctor Hülfemannus in Methodo Concionandi & Studij Theologici sic collaudavit p. 241. Nucleus & medulla, quam posteri omnes expromserunt, est in scriptis B. Chemnitii, quae Studiosus pro perpetua penu ducer, post B. Lutheri scripta, quibus saltem controversiae eo ordine non consignatae sunt, quo oportet in Systemate Theologico, idq; ob adversariorum ejus temporis inaequales impetus.

ἐν θ. 7. Et qui sic in Thesi sua ἐπιστώθη καὶ ἐνεδυναμώθη fideliter confirmatus & corroboratus fuit, is deinceps potest etiam δ. αβεβαίωσαι, firmiter alios informare, suamq; affirmare sententiam, quo verbo elegantissimo utitur Paulus, ad suum Titum scribens c. III, 8 πιστες ὁ λόγος, καὶ περὶ τῶν βέλαιμαί σε διαβεβαίωσαι, ἵνα φρονήσῃ καλῶν ἔργων πράττειν αἰεὶ ἐπιεικέστες τῷ θεῷ. D. Lutherus binis elegantissimis Scholiis verba Graeca sic explanavit: Das ist je gewißlich war. Solches wil ich/das (c) du fäst lehrst/ auff das die / so an GOTT gläubig sind worden/in einem Stande (d) guter Wercke funden werden. (Fäst) Das die Leute mercken und glauben/ das es gewiß und Ernst sey/ was du lehrst/ und nicht unnützig/ faul/ oder für Zweifel halten/ als werens Märlein oder lose Echeidung. Wie Christus Matth. 7. v. 29. Auch gewaltiglich lehrst/ nicht wie die Phariseer etc. (d) daß man sie brauchen köune in Empyern / die nicht unnütze Leute sind/ die zu nichts tügen. &c. Contra verò ad eos, qui solida doctrinae fundamenta negligunt, ac magis in Antithesi, quàm Thesi nondum perfectè intellectà, versari cupiunt, illud Paulinum accommodare poteris. 1. Tim. 1, 7. θέλοντες εἶναι νομοδιδάσκαλοι, μὴ νοῦντες, ἀλέγασσι, μήτε πρὸς τίκαν διαβεβαίωται. Vulg. Volentes esse Legis Doctores non intelligentes, neq; quae loquuntur, neq; de quibus affirmant. D. Lutherus ita interpretatur: Wollen der Schriffe Meister seyn/ und verstee



hen nicht/was sie sagen/ oder was sie setzen. D. Gerhardus hanc notam addit in Annot. c.1. Tim.p.16. *Nec principia doctrinae suae, nec conclusiones, quas ex iis colligunt, intelligunt.*

Ex 9. 8. Præcipue verò periculo animæ gravissimo se illi exponunt, qui sanæ doctrinæ fundamento nondum jacto, ipsorum Adversariorum scripta diligentius evolvunt. Siquidem ipsa recta ratio docet eos, prius gressum formandum esse puerilem, quàm saltum facias, ac Apostolus *lac prius esse bibendum, quàm solidus capiatur cibus*, suadet. Ebr. V, 12, 13, 14. De quo studiosi legant observationem auream D. Hutteri in Consil. studii Theologici in Methodo D. Hülsemanni citatam p. 357. *Lectio Scriptorum Adversariorum ita profuerit, si prius Theologorum nostrorum libellos istis ex professo oppositos probè cognoverimus. Deinde si dempto verborum furo & neglectis Oratoriis Declamationibus, quæ Calvino cum primis & Bellarmino communes sunt, ipsorum Adversariorum rationes in formam Syllogisticam resolverimus, easq; sic nudas examinaverimus: ibi demum nobis vera Lux, tam circa doctrinæ firmitudinem, quàm circa adversariae sententiæ vanitatem, patebit.*

Ex 9. 9. Post Scripturam Libri Symbolici assiduâ manu, noturnâ, diurnâq; versandi sunt. Quod studium Electores, Principes, ac Civitates Imperiales in Præfatione Formulæ Concordiæ hoc modo demandant: *Quare denuò etiam coram Deo & omnibus mortalibus profiteamur & testamur: nos declaratione Articulorum Controversorum, quorum jam aliquoties mentio facta est, non novam Confessionem, aut ab eâ (quæ Imp. Carolo V. felicis recordationis Anno 1530. exhibitâ fuit) alienam afferre, sed Ecclesias & Scholas nostras, imprimis quidem ad fontes sacrarum literarum & Symbola, tum ad Confessionem Augustanam, cujus antè meminimus, deducere voluisse.* Hortamur etiam severissimè, ut imprimis Juventus, quæ ad sacrum Ecclesiarum & Scholarum ministerium educatur, in hoc fideliter & diligenter instituat: ut ad posteritatem etiam nostram sincera doctrina professioq; fidei, usq; ad gloriosum illum adventum unici Redemptoris & Servatoris nostri Iesu Christi (largiente hoc sancto Spiritu) conservetur & propagetur. Hinc etiam in Examinibus Theologicis præsertim horum Evangelicorum Electorum, Principum & Ci-

& Civitatum Theologiæ Candidatus expectationi Theologorum respondere non poterit, nisi diligentius Libros quoq; Symbolicos evolverit. Unde Latermanno magnovotio datum fuit, quando publicè hoc eructavit: *Quid ad me Formula Concordiæ?* De quo Judicium Collegii Theologici Argentoratensis sic loquitur p. 47. f. 2. c. 5. *Temerè dixit in eâ Academiâ, ex eâ Cathedrâ, in quâ Formulâ Concordiæ approbata est, cujus Doctores olim illi subscripserunt, ad quam tanquam Symbolum Professionis procul dubio etiam sese obstringunt, quibus ista Cathedra committitur, quam ipse in Disputatione toties laudavit.*

en. 9. 10. Et sic cum primis etiam à *καίνοφωνία*, quæ plerumq; est *νεοφωνία*, obstinendum est, uti bene monet Magnus noster Chemnitius p. 37. parte I. L. Theol. *observandum est, quos modos loquendi in quolibet loco Ecclesia receperit, & quo consilio: quos rejecit & quibus de causis: ne petulanti novitatis affectatione, à proprietate sermonis Ecclesiastici temerè discedatur. Est enim diligentia digna piis, propter concordiam loqui cum Ecclesiâ rectè sentiente. Petulans enim mutatio vel errores parit, vel dissidia. Et plerumq; periculosus erroribus via sternitur, quando pleriq; piscatoriam Spiritûs S. simplicitatem nauseantes, sub integumento ornatûs & elegantie alicujus, *καίνοφωνίαν* introducunt. Nec justam reprehensionem effugies, licet terminum quendam Catachresticum, vel ex Patribus, vel alio Doctore, hujusmodi vocabulo, ceu signo minùs commodo, mentem Orthodoxam exprimente possis, asserere. De quo vicissim eruditam leges observationem parte I. L. L. Theol. p. 34. *Habet & hæc consideratio non contemnendum usum: Quomodo Antiqui Scriptores, tantum ad sui quisq; seculi certamina statum accommodârunt, atq; ita vel non satis de rebus ipsis dixerint, vel, sicut Basilius Epistolâ 41. de Dionysii scriptis inquit, tanquam institores incurvum tenelle arboris statum corrigere conantes, nimia attractione peccârunt. Et quomodo posteriores motis aliis & novis certaminibus, coacti sint statum magis proprium querere & illum explicatius proponere. Sicut de libero arbitrio veteres, quando refutationes suas solis Manichæis opponebant, suo modo locuti sunt. Postea verò Augustinus contra Pelagianos disputans, coactus est statum illius Disputationis ma-**

gis

ῥησιν proprie, magisq; explicatè ponere. Unde multoties in retræctationi-
 bus de suis scriptis ipse dicit: Hoc ita dixi, quia contra Manichæ-
 os disputabam, contra quorum dogma hoc satis erat. Et libro 1. con-
 tra Julianum ad antiquorum scripta ita respondet: Pelagianis nondum
 litigantibus, securius loquebantur. Er p. 37. Veteres sapè non male
 animo, sed quadam κατὰ χρεῖν, discedentes à nativâ proprietate
 vocabulorum, posteris occasionem errandi dederunt. Hinc illi termi-
 ni, qui in Patribus, vel aliis Doctoribus, mentem orthodo-
 xam verbis Catachresticis, minusq; cautis, explicantibus, ex-
 cusari possunt, in his, qui heterodoxiam suam sub ipsis occu-
 lere conantur, graviter accusati fuerunt.

Theorema VI.

Objectum, doctrina in Scholis proponenda certis
 cancellis circumscribendum, ac ratione *si. subjecti, loci, &*
temporis ita distribuendum est, ne nimiam distendatur La-
 titudine, sed maximè necessaria & utilia potissimum
 complectatur, & gratà ac succinctâ brevitate, doctrinæ
 tamen, quâ fieri potest, soliditate gaudeat. Idem dili-
 gentiorem meretur Observationem in studio Theolo-
 gico, ad quod Timotheus aliquis à puero sic formandus
 est, ut per omnes Lingvas, artes ac disciplinas, huic
 scopo inservientes, feliciter progressus, se in munere suo
 ἐργάτην ἀνεπαίχουτον ὀρθοτομεύοντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας
 2. Tim. II, v. 15. præbeat, ac βιβήλῃς κενοφρονίᾳ toto pecto-
 re aversetur.

ἐκ 9. I. Quemadmodum in corporis alimento benè dige-
 rendo stomachi ratio habetur præcipua, idq; cibi tum ratione
 substantiæ, tum quantitatis & qualitatis ordinatur, quod sensim
 totam juvat naturam, non verò eam obruit: Ita in objecto
 doctrinæ proponendo selectus est instituentus, nec (ut alibi ex
 Senecæ Epistolâ 108 locutus fui) passim carpenda sunt, nec avidè in-
 vadenda universa. Per partes pervenitur ad totum. Aptari onus viris
 has debet. Multi enim dum omnis generis dicta & scripta con-
 fuso

fuso involant ordine, magis genuinam rerum notitiam turbant, quàm capiunt, suumq; tum ingenii, tum iudicii vigorem corrumpunt, ut alii suà ingluvie valetudinem corporis atterunt, quod illi experiuntur quotidie, qui sanitatis regulam præscribunt, & animorum infirmitati medicinam faciunt. Proinde ad *subjecta, locum, tempus s. etatem, fortunam, similesq; circumstantias* respiciendum est.

ex D. 2. Ratione subjectorum. Ut in cælo siderum, in terrâ herbarum & sub terrâ mineralium, ita in vitâ humanâ societatum, & in ipsâ societate mira est ingeniorum varietas, quæ in informatione præprimis attendenda, & pro puerilis, vel juvenilis ingenii & iudicii viribus objecti determinatio constituenda est. Ex hoc deinceps ratione loci alia Methodus pro *Scholis publicis*, alia verò pro *privatâ unius vel alterius Informatione* proponi potest. Illic *communis* aliqua Methodus magno cum iudicio & Scholasticæ Informationis experimento præscribenda est, quâ omnes ex æquo celerioris & tardioris ingenii, majoris & minoris ætatis, lautioris & tenuioris fortunæ Adolescentes frui, & quod belli fert conditio, unî quasi cohorti inferi possunt, ita tamen ne indolis solertia alterius tarditatem cum hujus damno prævertat, aut hujus cunctatio illam evertat; Virtutem nihilominus & ingenii alacritatem honor & locus dignior, ceu brabæum, extimulet, aut extollat. Hic verò, ubi *Phisicis, mathematicis, & astronomicis* cum egregiis fortunæ instrumentis concurrunt, longè accuratior unius ac alterius ratio haberi, pro sine specialiter intento singula subordinari, majores sumptûs impendi, & Methodus personâ nobiliore loco natâ, præstantiori indole præditâ, & aliis fortunæ subsidiis instructâ dignior ac convenientior designari potest. Hoc discriminis parvi faciens, & Principem, Nobilem, ac Civem æquâ Lege informationis ad omnem vitæ conditionem informandum statuens, mihi *Chirurgo inconsiderato* non absimilis videretur, qui, *admotâ singulis cucurbitâ*, morbos omnes remove, & sanitatem restituere vanissimè sibi persuadeat.

D

ex D. 3.



ἐκ 3. Sic etiam in tantâ ingeniorum , diligentiae & conatum diversitate præcisè annorum numerus definiri nequit , prout hæc de re Excell. Dnus. D. JOH. HULSEMANNUS in Programmate Theologico supra laudato de discentium promotione differuit: *Quemadmodum singulis, quotquot corporis egritudine aut vulnere affecti sunt, æquale temporis spatium præscribi nec potest, nec debet, intra quod convalescant: Ita neq. mentis egritudine & rerum divinarum ignorantia laborantibus equalia silentij tenendi spatia describere convenit, verùm ut segetes aliæ præ aliis maturescunt, sic & ingeniorum fetus.*

ἐκ 4. Et huc faciunt illa requisita , quæ in Catalogo Lectionû publicarû hoc anno edito allegavi. Nimirum 1. quod Methodus recta sit *naturæ conformis*. 2. non sit *supervaganea*, sed *solida*, tum ratione fundamenti, tum ratione modi proponendi. 3. *conveniat cum Methodo* in Scholis, Gymnasiis & Academiis usitata. 4. eam contineat studiorum rationem, quam ex Scholis Gymnasiû *ingredientes* afferunt, & egressi in Academiis *florentem* reperiunt. 5. sit ratione *objecti certis limitibus circumscripta*, ut ea potissimum, quæ juvenuti sunt utilia & necessaria, contineat. 6. *facilis & jucunda*, Præceptoribus partem laboris in se recipientibus, actandem 7. *doctrinæ & fidei certitudinem* intendat.

ἐκ 5. Quæ autem in genere hæctenus de *objecto, subjecto, requisitis & adjunctis* Methodi dicta sunt, illorum omnium observatio in Theologiâ exigitur accuratior. Sic enim ipse Apostolus *Timotheo & Tito suo* non solum ea, quæ docenda & exercenda, sed etiam, quæ cavenda & fugienda sunt, operâ tradit conjunctâ. 1. Tim. I, 4, 5, 6, 7. c. IV, 6, 7. 2. Tim. II, 15, 16. It. 22, 23, per totum caput tertium. Tit. III, 9, 10, 11. In quibus Apostolus sententias illas, quæ *ζητήσεις παρέχουσι μάλλον, ἢ οικοδομίαν τῷ θεῷ τὴν ἐν πίστει* I. Tim. I, 4. *βεβήλας κενοφωνίας* 2. Tim. II, 16, *ἀπαιδέτους ζητήσεις* v. 23. viribus omnibus declinari jubet. Cujus farinae Quæstiones in Scholasticorum Scriptis leguntur quàm plurimæ. Quæ igitur minus necessaria & utilia sunt, illa pede festinante prætereunda sunt.



sunt, cum adolefcens multis adhuc Lingvis & artibus prius expoliendus sit, antequam plenis, quodajunt, velis in studio feratur Theologico.

Ἐκθ. 6. Quæ verò utilia & necessaria sunt, non è discen-
tium ambitione præposterâ & Φιλαντία, sed ex ipsarum di-
sciplinarum in usu spectatâ subordinatione, rectius à Professo-
ribus & Præceptoribus subindicandâ, & libellis Theologo-
rum Methodicis, passim obviis, censeantur. Sicut enim ἀπαί-
δευτοι & Juventuti malè consultum est, si *Medicinæ* dans ope-
ram, *Physicæ* prætereat hortos & limites, qvum etiam Medicâ
rerum Physicarum notitiam suis in libellis tradant. Aut si
ad *Jurisprudentiam* animum adjecturus, *Philosophiam* non prius
addiscat *Moralem*, qvum & *Ethica* & *Politica* Jureconsultorum
libris sint inserta: Ita gressus metituntur Icarios, qui sine
Lingvæ Latinæ, Græcæ, Hebrææ meliore notitiâ, sine libera-
lium artium & Philosophiæ cognitione, ceu canis ad Nilum,
festinant, qvum in Theologorum scriptis quoq; Lingvarum,
Logicæ, Philosophiæ usus Theologo necessarius passim simul
tradatur. Confundunt enim miselli miserè, num quid in *actu*
signato, vel *exercito* consideretur; Num Medicus, Jureconsul-
tus, & Theologus, in inferioribus jam exercitatus, notitiam,
gratâ mente acceptam, suo applicet instituto; an verò *Medi-*
cina, *Jurisprudentia* & *Theologia* hæc ipsa suis quasi fimbriis con-
tineant: ac sic tandem non nisi cruda studia ad superiores fa-
cultates propellunt.

Ἐκθ. 7. Similem incurrunt reprehensionem & illi, qui
in Gymnasis & Academiis studium Theologicum aliis arti-
bus & disciplinis posthabentes, præproperâ levitate cathe-
dras conscendunt Theologicas, ac munera perunt Ecclesia-
stica, ex Postillis, ceu Psittaci, de iis verba facientes, quo-
rum notitiam ipsi hætenus nondum fuerunt animo complexi.
Et his, & illis, illotis, quod ajunt, manibus sacra Theologiæ
tractantibus inclamandum est illud Jacobi c. III, 1, 2. μή πολλοὶ
διδάσκαλοι γίνεσθε ἀδελφοί μου, εἰδότες, ὅτι μᾶζον πρῶτα λη-



ψόμεθα. πολλὰ γὰρ πᾶίόμεν ἅπαντες. εἴ τις ἐν λόγῳ ἔ-
 π' αἰεὶ, ἔτ' ἔτελει ἄνηρ, δυνατὸς χαλιναγωγῆσαι καὶ
 ἄλλο τὸ σῶμα. Vulg. Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes,
 quoniam majus judicium sumitis. In multis offendimus omnes. Si quis
 in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potest etiam freno circum-
 ducere totum corpus. In officio namq; Ecclesiastico demum
 ea adhuc addiscere velle, quæ ex Scholis ad Ecclesiam doc-
 endam afferas, non aded dissimile videtur illi, si quis, Medi-
 ci instar circumforanei, jam factitet medicinam, inter officii
 curas, Hippocratis Aphorismos, Institutiones Sennerti, vel
 similes libros incepturus, & lecturus. Equis enim non videt
 utrinq; cum corporis & animæ periculo adhiberi medicinam?
 Solidam Theoriam felici Praxi præmittendam esse, ipsa recta
 ratio cujusvis monet conscientiam. De hoc jam olim Theo-
 logus insignis, D. Wolfgangus Frantzius, graviter fuit conque-
 stus, graviores adhuc querimonias editurus, si in hæc tempo-
 ra germanæ virtutis, & eruditæ industriæ magis sterilia, inci-
 disse. Sic enim de Interpretatione Scripturæ p. 12. loquitur: Ecce
 quid nunc usitatò fieri solet. In Academiam profecti aliqui Juvenes Phi-
 losophia sese sub primum statim ingressum dedunt, illiq; soli, soli, soli
 vacant usq; ad tempus Magisterii Philosophici: cujus honores petunt cir-
 ca annum ætatis 22, 23, 24, 25. & plerumq; propter hanc causam,
 quia circa annos jam nominatos nõrunt sibi paratam in patriâ vel alibi esse
 vocationem ad Sæptas aliquas, s. Theologicas, s. Scholasticas. Pleo-
 riq; etiam statim post impetratos honores Philosophicos illicò ex Acade-
 miâ discedunt, coemptis Postillis, & libris aliquibus Theologicis. Vivâ
 voce interpretantem paginas sacras audiverunt nullum, sed in Theologi-
 cis evadunt αὐτόχ' ὄρες & αὐτοδίδακτοι, quos totus mundus infeli-
 ces esse, & multa inconvenientia gignere proclamitat. Tales etiam
 num gloriam Dei ritè & in solidum querere possint, num adhortari eos
 ad solidæ pietatis studium, judicent, qui non sunt ex professo Theo-
 logi. Mihi non est dubium, quin sint sepe numero publicarum calamita-
 tum in orbe terrarum continuanter & graviter grassantium causæ præ-
 cipuæ isti, qui Theologiam ex suggesto docent, qui ad pedes Theologorum
 Academicarum, ad quos patrocinio suorum Fautorum ablegati fuerant,



vanquam sederunt, & nec per horas quidem omnino paucas ijs auscultandis operam ullam navarunt. An non etiam videndum sit iis, qui jure Patronatus obtinent, & potestatem eligendi ministros verbi habent, ne ejusmodi adidantur recipiant, judicium cuius committo, gloriam Dei, Ecclesie publicam & privatam utilitatem amanti citra affectus. Navis gubernatorem nemo creat, nisi idoneum: cur itaque in hac parte animarum multarum salutem concernente adeo volens caecities?

His Theorematis in multis adversatur *Philosophia Singularium, de Usu Rerum in Communi Vita, de qua Cl. Autor scripsit: Si ista egi, ista molitus sum, quae nunc in Gymnasio vestro aliquam partem emendata, agnita posthac emendari porro & libenter volent, apparebit equidem, me non inutilem, sed necessariam maxime solidamque operam publico navasse. Tantum vero abest, quod pace Viri dictum volo, ut ad illam Philosophiam Singularium, antehac nobis ne visam quidem, aliquid hic emendaverimus, ut potius istam, (quam nemini Philosophorum nostrorum animadversam non male dicit, accuratis vero Philosophis adversam ipse experietur) nostro Gymnasio magis obfuturam, quam profuturam existimemus. Ut autem de hac singulari Philosophia Singularium Studiofa Juventus mentem suam eo melius informet, nec cum putaminibus rerum abjiciat nucleum, vel etiam tritico paleas misceat, totius Philosophiae *συναγορά* praemissa, Observationem unam atque alteram adjiciam.*

Titulus constituitur: Philosophia singularium, de Usu Rerum in Communi Vita, Graecorum verbo ac sensu dicta EXOTERICA; In usum omnium, tam futuri olim Philosophi, quam Boni civis, Magistratus, Principis, Haecenus quidem Nemini Philosophorum Nostrorum animadversa, Multis cogitata annis, nunc demum ad Rationes Philosophiae intimas, ac Speciem Certam Redacta. Paragraphum primum sic orditur: Philosophiam aliquam humano generi proprietariam, ac valde Necessariam, ab haecenus recepta diversam, minime tamen adversam, sed Eidem Alternis Subordinatam in Cognoscendo, ad Perfectum igitur Omnis Humanae ac Divinae Cognitionis Ordinem Corporisque



plusq̄ Sociam, pro DEI gratiâ Primi deprehendimus, Primi Extremis Constitutam Lineis, Boni Publici causâ spectandam Publicè exhibemus. §. 2, 3, 4, 5, 6. exponit rationem & explicationem Tituli præfixi, suamq̄ Philosophiam ait non esse Philosophorum, quales Ipsi se & Vulgus solos putant, Theoreticorum aut Technicorum; sed Civilium: Hominum igitur propriè omnium, F. 3.

De Objecto scribit: Materiæ sive Objectum Philosophiæ Nostræ sunt Res in genere Omnes, Divinæ & Humanæ, antiquâ perinde & communi Formulâ, à Fine tamen proximo limitatæ: quatenus scilicet usibus humanis in Communi Vitâ substant, ab ipso Autore DEO iisdem destinata, & hoc modo propriè utiles sunt: p. 4. Quod sic exprimit pag. 9. de Rerum Omnium, Artificialium, Naturalium, ac Dibinarum Naturis, quatenus se Exterius in usu Humano exererunt: Modo perinde, ut de Vitis dictum Characteristico, tanquam maximè populari.

Dividit autem pag. 6. Philosophiam suam in Historicam §. 13. usq̄ 15. Paræneticam §. 15. & Encyclicam §. 16, quarum VIM deinceps tradit §. 17. Pag. 19. Gradum constituit geminum, alterum Introductorium, alterum Apotelesmaticum §. 18: & §. 19. quoad usum Introductorium Philosophiam non in infinitum crescere probat.

Pag. 27. sequuntur Proprietates, sive Affectiones hujus Philosophiæ, quarum (1) est Insignis Facilitas §. 20. (2) Evidentiâ quâ Sensus §. 21. (3) quod sit Planior, minusq̄ Intricata dubiis aut Controversiis vexata §. 22. (4) Ornata Elegantiâ §. 23. (4) res naturâ suâ abstractas & merè Intelligibiles, Alterius Philosophiæ proprias populariter efferens. §. 24. (6) sit alteri Philosophiæ subsidia-ria §. 25. (7) Propriè Moralîs §. 26. (8) Maximam partem Initialis atq̄ Introductoria in Philosophiam altio-rem, ac Superiorum Facultatum Scientias §. 27. (9) propriè Philosophia, cum altera verius Sophia dicatur. Definitionibus, inquit, utuntur illi, à quibus Nostri sunt procul. §. 28.

Pag. 44. recensentur Effectûs, quorum (1) est sapere §. 29. (2) Efficere Bonos & ἐπιεικῆς, Equitatis ac Moderationis Studiosos

fos, ubi p. 47. hoc aspergit: Et sanè ut Homines ubiq̃ sumas, Veritatis quidem Cupidi, Sententiæ tamen pertinaces, ita sit, ut vel Amore Veritatis, vel etiam obtentu ejus, Concitatiores in Adversarios simus. Unde vel in gravissimis Ecclesiæ Negotiis ac Disceptationibus Partium super Religione, in Colloquiis, Synodis & Conciliis, Politici etiã nunc Viri, pro Moderatoribus constituti; ut Ardorem eorum, qui in Certamen Congrediuntur, Temperent, Affectusq̃ Rationi Prudenter & cum Lenitate summittant. Quod Philosophia proprium nostra. (3) Civem, Magistratum & Principem ad officia sua informare. (4) Duos Effectus redundare in Ecclesiam, quorum prior est de moribus excolendis §. 32. Posterior Effectus ad Catechetas & Tractatores, (de quibus addit) uti olim rectius vocabantur, pertinet. Concionator vox Seditionis est. §. 33. Pag. 53. adjicit. Talia cum maximis Sparsa Intervallis per omnis generis Autores, fugere soleant Tebnicos ac Systematicos homines; tanquam à Scientiis remotissima & in Circumstantiarum Minimis sita; nullibi locorum Contracta in unum, atq̃ ordine digesta, præterquam in Philosophiã nostrã, ejusq̃ Historiã & Characteribus reperiri poterunt. Quotquot Cordati fuerint Theologi, dabunt hoc Laudis & Negotii Philosophiæ nostræ, & sibi ab eadem operã subveniri in Adolescentiã non molestè ferent. (5) Effectus in rem literariam (a) esse dicit: à Philosophiã hujus Constitutione jam absoluta, distinctum perfectumq̃ Omnis Divinæ & Humane Cognitionis Corpus nunc demum intelligi ac dijudicari plenè atq̃ accurate posse §. 34. (b) facit pro Philosophiã Aristoteleã deinceps consummandã §. 35. Ad hanc consequendam Veteres Aristotelis Magistri & Sectæ ante ac post eum omnes Denuò inspiciantur p. 59. (c) sufficit alteri justam materiam, ut solida inde rei cujusq̃ Scientia atq̃ Contemplatio haberi queat §. 36. (d) quòd hãc constitutã, nunc demum Methodus investigari potuerit quadam Universalis, una, immota, & nullis Disceptationibus convellenda, eaq̃ ut Veterum non minùs, sic & vere Aristotelica. §. 34. pag. 65. addens: Hoc in Veram Methodum, Vere antiquam, Vere Aristotelicam, Meritum per DEI gratiam Meum ingenue profiteor, ringantur ut ilia Momo (e) Philologia inservit §. 38. (f) Eloquentiæ studio ordinem monstrat §. 39. (g) Delectum honorum atq̃ Classicorum Autorum sistit exactissimum.

sumum. (h) ad Scholas inferiores pertinet §. 41. De his scribit pag. 72. Harum propria est Adolescentia, Decimo Nono Ætatis anno finita; Gymnasia Iuventus prima; Duobus admodum Annis delegata, Academiis, Eadem sed Masculina & Viris propior convenit, quam in Annum aut trigesimum longissimè, aut Viceesimum sextum vel Octavum, tanquam in Ætatem pro communi & Ordinariâ hominum Naturâ Mureribus legitimam, reduximus. Pag. 76. sequuntur Gymnasia, quibus Boni Auctores utriusq; Lingvæ non minùs, sed Majoris profectus causâ, ut & Philosophiæ Nostræ Gradus Iuventuti Primæ destinatus, Artium verò ac Scientiarum non Systemata, sed nuda duntaxat compendia rectè competent, à Questionibus tamen & Controversiis Altioribus liberata, Solo Definitionum & Partium in illis, Verborumq; Primo Intellectu satis futura. Tandem Academiarum p. 79. (1) Academiis maximè conducit §. 42. In quibus addit p. 41. De Tironum quidem Academicorum infirmis nimium & crudissimis plerumq; studiis, Publicæ exstant querelæ, & Res ipsa loquitur totâ die. Id verò Academiis summæ Turpitudini, nec ferendum erat, quòd cum in Theologiâ & Iurisprudentiâ Respondere de Gravisimis deberent Controversiis Gymnasiorum Alumni, sed, qui Institutiones neq; Theologicas neq; Imperatorias unquam aspexerant, tam miserè ergò starent in Cathedrâ, ut nec Repetere argumenta, nec Respondere possent, Hujus tamen Flagitiosa Methodi Defensores CALidissimi tam impudenter patrocinari aude- rent Manifestissimis hisce ineptiis, ut Sæpè in Academiis non meliores haberi Respondentes dicitarent. Auditor omnis Homo; Specialiter Mas, Fæmina; Puer, Adolescens, Iuvenis, Vir; Agricola, Civis, Nobilis, Princeps; Privatus, aut cum Potestate; Politicus equè, ut futurus aliquando Philosophus §. 42. pag. 85. Posthæc §. 44. peculiarem, sibiq; proprium cognitionis modum sistit, Intellectu in superiorem & Inferiorem, quem etiam sensivum vocat, diviso à §. 45. usq; 56. Ubi sua explicat Singularia §. 57, 58, 59. Redit verò §. 60, 61. ad modum suum proprium, exotericum, & Demonstrationem suam §. 62, ac probabilitatem §. 63. subji- cit. Tandem Effectum ex his Cognitionum formis secundum Aristotelem constituit non Scientiam, sed Opinionem §. 64. Se ipsum verò sic explicat §. 65. Si tamen ipsam intueri natura-

turam

Sarum Rerum citra Autoritatis præjudicium cupiamus, non tantum Opinio, sed & vera quadam Scientia per Philosophiam Nostram in animis hominum generabitur; utraq; tamen, (ut discrimini aliquis locus sit, confusions nullus, appellari rectissimè queat Sensualis, vel ut alii rectius dictum putant, sensiva; tanquam sensuum & Phantasia, hoc est Intellectus ac Rationis inferioris propria. pag. 116. hæc habet: Diversa abstractionis species est, illa paucorum atq; Sapientum, per Excellentiam dicta nobis Philosophia, atq; per Intellectum superiorem administrata; quippe cui contra distincta est Altera ista Vulgaris, Omnium hominum Communis, à Phantasia scilicet, qua Intellectus ille Singularium ac sensilium est, pendens. Pag. 121. §. 67, 68, 69, 70, 71. suos Syllogismos conficit. Horum robur ut melius possis cognoscere, sequentes trado Observationes:

1. In hac Philosophiâ singularium discernenda sunt materialia, seu res ipsa à Formalibus, & hac Tractatione, nemini, ut loqui amat, Philosophorum nostrorum animadversa, & nunc demum ad rationes Philosophiæ intimas, ac certam speciem redactâ. Materialia ut plurimum sunt bona, & in omnibus Scholis benè constitutis maximè usitata, historicam scilicet aliquam rerum notitiam habere, vel tradere, paræneses addere; Encyclicas disciplinas rectè docere, istaq; omnia magnas in Re publicâ & Literariâ præstare commoditates. Et sic pars maxima totius hujus Philosophiæ in Scholis Trivialibus multis abhinc seculis strenuè fuit exercita, ac nullatenus novum inventum est. Sed de Formalibus erit hic disquirendum, an Philosophia singularium sit, & an omnia suum nomen & locum rectè tueantur.

2. Sicut res omnes aliter considerantur ratione essentia & prout esse debent, aliter ratione existentia & prout sunt. Sic nunquam in Scholis, uti etiam in nullo vitæ ordine & genere, ea dabitur perfectio, quin semper aliquot vitia & abusus obrepant, & Præceptor ac Discipulus aliter in Ideâ, aliter prout existit, spectari debeat. Hinc vitia si qua occurrunt, meritò corrigenda, non tamen ipsi Præceptores & Professores injuriis onerandi sunt, ut fit §. 41, 42. Si quis verò omnia Scholarum Publicarum vitia retegat, eaq; in luce omnium acerbissimè

E

per



perstringat, is prius se ipsum respiciat, an vitam & privatam Informationem prorsus sine omni labe possit instituere, quod tamen in cætu numerofo ex tot diversis ingeniis diverso loco natis & educatis exigit. Videatur in Catalogo Lectionum P. hujus Anni Caput Tertium.

3. *Optanda quidem esset omnium rerum divinarum, humanarum, Naturalium, Artificialium notitia, vel historica saltem; sed non speranda intra annum Adolescentiæ decimum nonum.* Paucissimos sane Præceptores reperies, qui harum omnium naturas ipsi intelligant. Quomodo eæ jam Adolescentulis tam angusto temporis spatio in Scholâ Publicâ, in quâ Lingvæ & Artes discendæ sunt, instillentur? An amabo rei Scholasticæ conducet, adolescentulum posse hanc vel illam stellam, herbam, vel etiam alicujus Technici terminum artificialem nominare; intereâ verò *Declinationum, Conjugationum & Regularum usum præmittere*, quod aliquoties hæctenus in istius Methodi Auditoribus deprehensum fuit? Dum non necessariis Juventus obruitur vel distrahitur, à necessariis & magis utilibus abstrahitur.

4. Quia hæc Philosophia singularium dicitur *ad rationes Philosophiæ intimas, ac speciem certam redacta*, non operam perdet Juventus, si ad terminorum Definitionem, in Scholâ Philosophicâ accuratè traditam, has rationes Philosophiæ intimas applicet, & quidem, ut ipse loquitur p. 115. *sine ullâ equivocatione accommodet.* Hic fanè rem omnem longè aliter se habere intelliget, ac in ipsis pagellis & Syllogismis leget promissam.

5. *Titulus est Philosophia Singularium.* Sed qualis Philosophia? *Vulgaris scilicet, omnium hominum communis, à Phantasiâ, quæ Intellectus ille Singularium ac sensilium est, pendens.* Philos. Sing. p. 116. ¶. An hæctenus ullus Philosophorum accuratior dixerit, Philosophiam à Phantasiâ pendere, non memini. Forsan, si in re seriâ joculari liceret, hoc modo cani, Phantasiâ pollenti, spes magna Philosophiæ fieri posset. Sed à joco redeamus ad *singularia*, quorum etiam *singularis* est acceptio, minùs hæctenus in Scholâ Philosophicâ usitata. Nam
ad

ad singularia revocare conatur non tantum res singulas, sed etiam generaliter atq; in sua latitudine ac natura acceptas, omnem agricolam, omnem Civem, omnem Principem. Jam vero esse singulare, & esse rem in sua Natura & latitudine acceptam, ut omnia subiecta & individua complectatur, (Conferatur p. 96, 97.) annon hæc se mutuo evertunt? Dicit verò Vir Cl. illa non esse Universalia, quia personaliter supponuntur. Verum in Demonstratione, que sanè rerum universalium est, accuratissima in primâ Figurâ formata, quando propria affectio de suo subiecto specifico per proximam causam demonstratur, Vgr. *Omne rationale est risibile. Omnis homo est rationalis. E. omnis homo est risibilis*; ibi suppositio personalis est, nec tamen de Individuo seu singulari, sed specie fit demonstratio. De quo consules Clariss. Dni Prof. M. Neufeldii Dni. Collegæ mei honoratissimi Semidecadem Septimam Quæst. 2. in quâ hoc assertum eruditè refutavit. Sic etiam quod Vir Cl. p. 96. Philosoph. Sing. scribit: *Propter Finem Communis Vitæ, qui Rerum Usus, adeoq; res omnes ut singularia intendit, per Voces ejusmodi nec primariè ac propriè illa Communis Naturæ, que in Individuis, ut omnibus, Una ac Simplex est, nec etiam distinctè & accuratè intelligitur ac representatur; Sed eadem ut confuse apprehensâ, præsuppositâ, atq; anticipatâ, intelliguntur propriè ac directò omnia Subiecta, sive Individua, de Comuni isthâc Naturâ Participantia, per vocem Omnis & Quidam veluti numerata, & in summam aliquam Collecta:* *Id ipsa doctrina & natura Demonstrationis refellit. Nam ex illâ ipsâ habitudine subiecti & Prædicati, quæ non est impropria, sed maximè propria, Syllogismus Demonstrativus dijudicatur, Ex. gr. quando dicitur: Omnis homo est animal, ipsa sanè natura animalis propriissimè intelligitur, ac de homine ceu specie suâ affirmatur. Quin imò si non per voces universales propriè Communis natura intelligeretur, quomodo essent homo & brutum respectu animalis Synonyma, ac, ut ipse loquitur, de Comuni isthâc Naturâ participantia? Sic igitur Vir Cl. sua cædit vineta. Et hæc de Philosophiâ illâ singularium, ad rationes Philosophiæ intimas, si Dñs placet, redactâ.*

6. Posthæc perlustres objectum, subiectum, finem, partes, affectio-



nes, *Effectūs & modum in docendo*, ac discipias, an ea omnia, pro-
ut à Cl. Virò fuerunt prolata, sint *differentia sub eodem genere per-*
petua, ac an ea, quæ rei *accidentalìa & pluribus communia sunt*,
specificum & proprium possint constituere, ut hujus Philosophiæ
Autor constituit §. 68. p. 122.

7. Poscas ab eo, ut Tibi ante omnia Philosophiam in
genere, de quâ sine *equivocatione utraq. species, noviter inventa scilicet,*
& *Aristotelica participet*, definiat. Ibi se facile suo proderi indico.

8. Similiter tecum expendas, an accuratè ex eo discrimen
disciplinæ *specificum inferatur*, si illa ab uno per *Definitio-*
nes, Divisiones & Regulas, ab altero verò per *exempla & senten-*
tias tradatur.

9. Diligenter tecum examines, an is, qui Philosophiæ
rudem & adhuc imperfectam habet notitiam, *specie distinctam ha-*
beat Philosophiam, ab altero, qui *accuratè res novit Philosophicas*,

10. Item an *Historia & Parænesis* possint tales Scientiæ
partes constituere, ut iis una Scientia ab alterâ *specie distin-*
gvatur? Annon in omni Facultate & Disciplinâ hæc crebrius
conjugantur, uti etiam hætenus *Studiosa Juventus de Vitæ*
regulis semper in Scholis fuit monita?

11. Conjugatur *objectum*, quod sunt Res omnes, earumq;
naturæ, *divinæ, humanæ, Naturales, Artificiales, Latina &*
Græca Lingva, & omnes artes *Encyclicæ*, inq; iis *Geometria,*
Geographia, Astronomia, Chronologia &c. cum *subjecto In-*
formationis, quod sit vel *femina, vel Adolescens, attingens annum*
19. ætatis p. 72, & inquiratur à Viris in *Scholasticâ Praxi exer-*
citatis, an in Scholâ *Publicâ* hæc obtineri possint. Istam sa-
nè *Methodum* vix ac ne vix quidem in Scholam publicam in-
troduci posse, unanimiter confitebuntur.

12. Sic ex *proprij* descriptione facile pervidebis, *affec-*
tiones, ab Autore recensitas, rectè *proprias* dici non potuisse,
nec *propriorum naturam* habere.

13. In *Effectūs* ipsos inquiras, an hi ex ipsâ *Philosophiâ*
Singularium, prout à nemine nostrorum *Philosophorum* fuit *animad-*
versa, fluant, an verò ex *Disciplinis Instrumentalibus, & Artibus*
Libera-

Liberalibus sequantur, licet nunquam ad peculiarem Philosophiæ Speciem redigantur, sed in loco & censu suo persistent. Et annon similia etiam à verâ Philosophiâ præstentur, ac præstari possint, à quâ tamen hæc per Effectum, seu differentiam perpetuam, discernatur.

14. Excursus etiam *Finem*, An *Opinio tantum* seu *Finis* hujus Philosophiæ in rectâ ac solidâ informatione intendatur: an ipsa in se Viros bonos & ἐπιεικείς equitatis ac moderationis Studiosos faciat. Siquidem hæc fluctuans, & imperfecta notitia τὸ ἐπιεικὲς non apprehendit. Quin imò nullum genus hominum magis Rei nocet Literariæ, & publicæ, quàm ille Semidoctus cætus: Ex opinione enim suâ de omnibus vult judicare, quorum tamen partem centesimam, ipsaq; fundamenta ignorat. In Theologiâ verò prorsus opinio fluctuans fugienda, & solida notitia quærenda est. Rom. XIV, 5. ἐκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ ἢ πληροφροσύνῃ. Beza. Unusquisque in animo suo plene certus esto. confer. 2. Cor. 13. 5. Eph. 4, 14. Hi etiam illi Politici, qui carent accuratâ Theologiæ notitiâ, et ceteris Theologicis minùs commodè moderari, aut rectè aliquid definire possunt; Quin & ij, qui sunt opinione, vel etiam prorsus erroneâ hypothesi imbuti, sapiùs majoribus invehuntur affectibus, quàm solidissimâ notitiâ præditi.

15. Aristoteles libr. 1. Nicomachi. capite statim primè evidentè monet, in Practicis τὸ ἀκριβὲς non posse quæri. Τὸ γὰρ ἀκριβὲς ἔχει ὁμοίως ἐν ἅπασιν τοῖς λόγοις ἐπιζητητέον. Nam exacta tractatio non simili modo in unoquoq; genere exquirenda est. Item ἀγαπῆτον ἐν περὶ τοιούτων καὶ ἐκ τοιούτων λέγοντας, παχυλῶς καὶ τύπῳ τὰ λεγόμενα ἐνδείκνυσθαι, καὶ περὶ τῶν ὡς ἔστι τὸ πολὺ, καὶ ἐκ τοιούτων λέγοντας, τοιαῦτα καὶ συμπεραίνεισθαι, τὴν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ ἀποδέχεσθαι χρῆναι ἕκαστον τῶν λεγομένων. πεπαιδευμένους γὰρ ἐστὶν ἐπὶ τοσούτον τὰ ἀκριβὲς ἐπιζητεῖν καὶ ἕκαστον γένεσθαι, ἐδ' ὅσον ἢ τὰ πράγματα. Φύσις ἀποδέχεται. Contenti igitur erimus, si nos, cum de talibus & ex talibus differamus, pingvi quâdam Minervâ atq; adumbratâ figuratiōe verum ostendamus:



cumq; de iis, quæ plerumq; eveniunt, atq; ex iis ratiocinemur, similia etiam concluderimus. Eodem modo etiam unusquisq; debet ea, quæ de aliquo dicuntur, admittere. Est enim eruditi eatenus exactam in unoquoq; genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipsius natura potest. Hinc non possum non mirari hujus Viri Cl. verba p. 36. *Philos. fing. Nostra Philosophia propriè Moralis est &c. & p. 37. Morales Virtutes Nostra sunt Philosophia. Idq; porrò apparet ex eo; quòd Moralis Virtus ab Autoritate, ab Exemplo, ab Imitatione, ab Actione aliquoties iteratà, quæ Consuetudo paullatim fit, adeòq; ab Exercitatione proveniat, & tota quidem ASCETICA sit; quæ omnia & singularia sunt, & Philosophia nostra propria. Et quanquam hic etiam aliqua intercedat Doctrina, minimè tamen Universalium ac scientifica est, sed Rectè Duntaxat Opinionis, circa Particularia occupata. Historia enim prorsus Singularium est. Cohortatio autem Præceptis utitur minimè Catholicis ac Perpetualibus, ut Quintiliani verboutar, sed quibus jubetur, hoc illud ve agere, eo modo atq; ordine agere. Quæ particularia sunt, & Præcepta Vitæ, Leges, Edicta, Monita, atq; Observationes Politicæ appellantur. Contra Aristotelis Philosophia Præctica volbitur versaturq; in universalibus; utitur veris Demonstrationibus; Tota ad modum Scientiæ composita est; Rationibus Analyticis constat; Scientiam parit, ac scientes efficit. Quibus sanè ipsa Aristotelis verba ex l. I Nicomach. cap. 1. allegata manifestè contradicunt. Sic etiam quis sanæ mentis neget præceptis maximè Catholicis homines etiam maximè moveri, eaq; magis convincere conscientias, quàm ea, quæ à Consuetudine vel exemplo proferuntur. Quis non magis moveatur verbis Decalogi, quàm Senecæ, Taciti, vel Livij monito? Meliorem fovit sententiam D. Johannes Tarnovius, qui in commentario suo super Psalmum 51, v. 6. p. 77. sic scripsit: *Actionum bonitas vel malitia non estimanda ex pravo hominis, sed recto Numinis judicio, quod hodiè probe observandum, ubi mundus non Dei sanctis præceptis, sed hominum stultis opinionibus ac placitis maximam partem regitur.**

16. Verba valent sicut nummi: de quibus canit Horatius libro de Arte Poet. v. 70. & seq.

Multa



*Multi renascentur, quæ nunc cecidere, cadentq;
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi.*

Hinc in unius Viri Cl. gratiam Docentes in Ecclesiâ nomen Concionatoris nomine Tractatoris non permutabunt. Concio enim & Concionator in se vocabula seditionis non sunt; licet interdum in malam significationem trahi possint. Laurentius Val- la l. 4. c. 47. hanc tradit notam: Concio est populi multitudo congregata, vel ex Magistratûs iussu, vel ex publici Sacerdotis, vel interdum suâ autoritate, & Sponte propriâ, ad audiendum Oratorem concionantem in bonum publicum, cujus etiam Oratio vocatur Concio. Vide etiam Gellium l. 18. c. 7. Noctium Atticarum. Ac Græcum κήρυξ & κηρύσσειν, huic Latino respondens, de Evangelij Præconibus & Præconio in Sacris frequentius legitur. Similiter & is, qui verbum Dei vivum & efficere Hebr. IV, 12 prædicat, in illis vitiorum minimis, quæ Vir Cl. iacturat, non ita intricabitur, Paulinum illud suum facturum: I Corinth. II, 4. καὶ ὁ λόγος μετὰ καὶ τὸ κήρυγμα μετὰ ἐν πιστοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγους, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως. Vulg. Et sermo meus & predicatio mea non in persuasibilibus humana sapientie verbis, sed in ostensione Spiritûs & virtutis.

17. Quantum quæso emolumentum in Juventutem, DE I gloria, & Ecclesiæ ac Reipublicæ commodis educandam, redundabit, si Veteres Aristotelis Magistri, & Sectæ ante ac post eum omnes denuo inspiciantur? Quæ demum infallibilis norma extruetur in Philosophiâ, quæ non tam Autoritate humanâ, quàm ipsa Naturâ & rectâ ratione nititur? Hinc ipse Aristoteles dicit l. i. Nicomach. c. 4. δόξειε δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι, καὶ δὲν ἵππὶ σωτηρίας (γὰρ) τῆς ἀληθείας καὶ τὰ δικαία ἀναίρειν, ἀλλ' ὡς τε καὶ φιλοσόφοι ὄντας. ἀμφοῖν γὰρ ὄντων φίλων, ὅστιον προτιμᾶν τὴν ἀληθειαν. Sed forsân rectius esse & oportere videretur, ut pro veritatis salute unusquisq; & præsertim Philosophi sua quoq; propria refutarent. Nam licet amici ambo sint, sanctum est veritatem ipsis in honore antepone.



18. De Scholis, iisq̄ celebrioribus Gymnasiis, pro illarum incremento, Docentium & Discipulorum ratione, ac illarum fundatione & constitutione diversa sunt formanda iudicia. In quibus Juventus nondum sua didicit compendia, nec Exercitiis minoribus prius fuit instructa, concedimus ad majora non esse festinandum. Sed in nostro Gymnasio in Classe jam Secundâ traduntur Compendia Theologica, Logica, & Rhetorica, certoq; absolvuntur tempore, per utiles Observationes Theologicas & Logicas ad Disputationes, & per varia Progymnasmata ad Orationes in Classe Primâ habendus præparantur. Num quæso jactabundi aut ambitiosi Magistri proclamandi simus si Disputationes & Orationes in Gymnasio Academico Academicas, à Juventute, prius benè exercitâ quandoq; proponi curemus, ac cum ipsis sæpè adversariis in publicis conflictibus conferre cogamur. In nostro sanè Gymnasio Magnifici Senatûs Gedanensis sumtibus omnium Disciplinarum & Facultatum Professores constituti sunt Publici, ac ea Studiosæ Juventutis oculis frequentius exponuntur, quæ in nonnullis Academiis non ita sunt vulgaris. Excell. Dn noster D. Laurentius Eichstadius, Senior Professorum honoratissimus, ut hunc unum honoris gratiâ nominem, Anatomicas, Astronomicas, Geometricas, Physicas & Medicas demonstrationes ita publicè instituit, ut quod alibi vix fando accipias, hic oculis & auribus haurire potueris. Id quod præcipuè in Disputationibus hætenus contigit Physicis, ubi Studiosæ Juventuti universalis doctrinæ fundamenta in ipsis singularibus cernere, & Physicam Physicè perscrutari licuit.

19. Licet etiam quandoq; Respondens vel Opponens ad primas velitationes ducendus, timore vel alio affectu præpeditus ex voto partes suas non impleat, uti in militiâ non omnes æquo Marte pugnant: Ausim tamen ad unanime suffragium Clarissimi Doctissimiq; Auditorii, ceu testium oculatorum provocare, plerosq; à nobis in publicam Cathedram productos munere suo non indignè defunctos fuisse.

20. De modo cognitionis ipso quæ ex Aristotele profert, Demonstratione τῆ διότι & ὅτι, quam ab Aristotelicâ distinctam vendicat p. 106, & similibus pluribus ad huc agendum foret,
si chartæ

Chartæ penuria, & Disputationis ratio permetteret. Sed paucis ad specialem partem pervenimus, ostensuri, quomodo jam Timotheus tum domi, tum foris in Scholis informari possit, ut à puero Scripturas rectè intelligat.

Theorema. VII.

In primâ statim pueruli Informatione multum positum est in ipsorum parentum pietate, uti fides non ficta in Timothei Avia Loide & Matre Eunice refulsit 2. Timoth. I. 5. Ipsiq; parentes si hoc præstare nequeant, alios liberis suis præficere tenentur.

ἐν 9. 1. Quibus per fortunam educationis datur optio, his omninò svaderem, ut infantem, lacte materno nutritum, non nisi iis committant hominibus, qui verbo Dei, precibus, & cantionibus spiritualibus oblectati, fabulis evitatis anilibus, aliisque hujus surfuris Cantilenis, verba & Historias sacras tenellæ huic ætati instillent: ac ita testam recentem succo pietatis imbuant quàm optimo. Cum primis verò Parentum pietas & devotio similem inflamment in liberis pietatis ardorem, ac subinde instaurent; quod Paulus ἀναζωογονεῖν in posteriore ad Timothæum Epistolâ 7. 6. vocabulo Græcis elegantissimo, appellat.

ἐν 9. 2. Idquod non in parentum libertate positum est, sed ipsis ex Lege divinâ incumbit Deut. VI. 6, 7, 8, 9. Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: Eaq; acutè ingeras Filiis tuis, ac loqueris de eis, cum sedes domi tuæ, & cum ambulas per viam, cum cubas, & cum surgis. Etiam alligabis ea in signum manui tuæ, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos: deniq; inscribes ea postibus domus tuæ, & portis tuis. Hocq; ipsum quartum præceptum complectitur, cujus Explicationem Paulus in Epistolâ ad Ephes. cap. 6. tradens, hæc adhortatione adoritur, v. 4. Οἱ πατέρες μὴ παροργίζετε τὰ τέκνα ὑμῶν, ἀλλ' ἐκτρέφετε αὐτὰ ἐν κυριακῇ καὶ δεσποσικῇ κυρίας. Et vos Patres ne provocate ad iram liberos vestros, sed nutritite eos in disciplina & admonitione Domini. Exinde quoq; Magistrat-



gistratus utriusq; Tabulæ custos, parentes lucro inhiantes, suiq; officii immemores monere, & potest & debet, ut, si ipsi nequeant, per alios, Scholas præsertim publicas, illud in pietate informationis genus suppleant.

Theorema VIII.

Laudanda est hæc Veterum pietas, quæ in primis literarum elementis Catechesin, Evangelia, Psalterium, Proverbia Salomonis, Siracidem, vel similem Librum Biblicum pueris prælegenda constituit, ut ita verbi Meditationi sensim assvescant. Sed hic Præceptorum simul requiritur dexteritas, ut suas paræneses addant, & ad verborum attentionem suos excitent; prout in Gymnasio nostro rectè singula verba è Catechesi recitata à pueris exquiruntur.

ex D. 1. Multi legendi tantum peritiam sectati, parum interesse putant, quid pueris legendum præbeat. Sed pia Antiquitas, cum literis pietatem conjungens, sacros suis prudenter destinavit libellos. Sic enim verborum Scripturæ Lectione memoriæ puerili, ceræ simillimæ, characteres imprimuntur optimi, & diutissimè servantur, si modò Præceptorum vel Parentum accedat informatio. Hinc in nostro Gymnasio à Magnificis Dominis Scholarchis benè constitutum fuit, ut verba à pueris recitata, singula exquirantur.

ex D. 2. Hoc autem constituto saluberrimo supina puerorum incogitantia corrigitur, verborum Intellectus suggeritur, fides accenditur, & ad Scripturæ devoram meditationem via paratur oprata.

Theorema IX.

Sententiæ, quæ à pueris sumpto cibo, præsertim diebus Dominicis recitandæ exiguntur, sumantur è Bibliis, discantur vernaculâ Lingvâ, & illarum Grammaticus sensus exploretur. Proponantur verò eæ de Scriptu-

ra,

râ, , utpote verbo Dei, reverenter & diligenter tractan-
dâ, de Deo Trinuno, de fide in Christum Jesum Re-
demptorem, de vitâ Sanctimoniâ, & conscientiâ purè
conservandâ &c, & quidem verbis breves, sed sensu ma-
gnâ. Quâ in re suum usum reperiunt Cantiones in no-
strum Gymnasium introductâ.

ex D. 1. Sententiarum illarum recitationem apud ple-
rosq; suo nâvo non caruisse, plures mecum fatebuntur. Pue-
ris namq; Grammaticæ præcepta nondum perfectè intelli-
gentibus, Latinæ sententiæ magno cum labore inculcatæ fue-
runt, qui deinceps & Latinas & Græcas ceu Psittaci reddide-
runt, memoriam onerantes, sed parùm intellectum juvantes.
Verborum *sonum*, non sensum assecuti, parvam Religionis suæ
notitiâ capessunt. E re magis foret pueritiâ, è Bibliis di-
cta selectissima addiscere, & cum primis ea, quorum usus sem-
per exigitur, ut istæ sententiæ generales in hac ætate discen-
dæ principia & Axiomata in Studio Theologico salutariter
applicanda contineant.

ex D. 2. *Preces* quidem *Rhythmo inclusas* non contemnos
siquidem memoriam juvant, & tacitam secum vehunt verbo-
rum gratiam. Exopto tamen, illas esse nec ita longas, nec
multas, nisi verbis ipsius Scripturæ consent, quum hæc divi-
nam contineant Auctoritatem. Quocirca *die Dominico* me-
ditatio Scholasticâ devotione non indigna erit, si Parentes
vel Præceptores etiam præmiolo suos invitent, ut Hymnos il-
los, quos in Gymnasio ex libellis nuper confectis *besingende*
Herzens-Andacht/It. Sin- und Bet-Stund concinunt, domi
diligentiùs repetentes, Scripturæ loca citata evolvant, ac non
tâm ediscendo, quàm legendo & canendo sibi familiares red-
dant. Sic Lectionis Biblicæ sistentur gnarissimi, ac utrinq;
rhythmo & sono memoria adjuvabitur.

Theorema X.

Series Articulorum fidei rectè observata multis Con-
troversis facilitatem & evidentiam parare potest. Qua-
propter

propter in Gymnasio Catena Fidei non parvo cum Juventutis commodo sic proponitur, ut in inferioribus Classibus Theses tantum legantur & ediscantur; in Secundâ verò Scripturæ dicta addantur, & quidem à Græcâ Lingvæ peritis ex ipso Textu Græco Grammaticè rectè intellecto reddantur.

en. 1. Una plagula totam seriem articulorum in Catena Fidei sine Scripturæ dictis allegatis complectitur. Idcirco folio per singulos dies lecto, ipsos articulos fidei vel legendo sibi reddere potest notissimos. In eo verò fundamentum habet firmissimum, quando ipsius Thesis verba divinis è literis desumpta fuisse, ex Scripturæ dictis substratis intelligit.

en. 2. Laudabilem proinde hætenus operam *Classis Secundæ auditores industrii* navârunt, quando ipsi *Textum Græcum* è regione positum resolverunt, & memoriæ mandârunt, ut in Examinibus verba Fontium felici depromere memoriâ potuerint. Insignis his accederet lux & utilitas, si *distinctiones & notas Typo expressas* illis possem addere, quemadmodum hætenus ejusmodi Scholia calamis discentium exposui. Sic enim Tempus Scholiis dictitandis lucrifacerem.

Theorema XI.

Non malè consulatur Juventuti, si Historiæ Ecclesiasticæ vel similia Theologiæ cognata argumenta in Exerciitiis etiam styli proponantur; uti in Classibus Gymnasii Inferioribus Dialogis Castellionis pueri exercentur.

en. Hoc ipso non prohibentur, vel excluduntur *profane Historie, Chrie, Gnomæ, & similia Progyrnasmata*, quibus omnis doctrinæ & disciplinæ Auditores, ut fit in Scholis publicis, insigniter oblectantur. Sed ostenditur tantum, quomodo pater vel præceptor Timotheum aliquem ad munus Ecclesiasticum à puero feliciter præparare possit, ut in eo tandem aliis habitu præcellat Theologico. Quocirca non malè loceret

Præ.

Præceptor operam, si per totum Decalogum Historias de Virtutibus & vitiis, cum sententiis & doctrinis elegantioribus adjectis, ita Germanicè conscriberet; ut puer vel Adolefcens eas commodiùs Latinitate donare, ac Phrafeologiam suam applicare posset: Sed hujusmodi Libri, qui Præceptorum operam in Germanico exercitio proponendo sublevent, ab aliis in Latinam Lingvam translati, publico Typo non divulgentur, ne discipulorum inertia iis aburatur. Qui jam majorum sunt profectuum, in Lingvarum Idiotismis, ac aliis Progymnasmatibus, accuratiùs exerceri possunt. Sic rectè in Gymnasio nostro pueri inferiorum Classium Dialogos sacros Castellionis priùs exponunt, resolvunt, imitantur, & deinceps, personas certas induentes, ex illis Latinè colloqvuntur.

Theorema XII.

Lingvarum & in iis Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ cognitio cum primis necessaria est Theologo. Hinc istæ Lingvæ non obiter, sed ex solido fundamento Grammatico discendæ sunt, ut in Thematis vel radicis investigatione possis esse certissimus. Siquidem in Hebraicis interpretes sæpè radices ob literarum affinitatem confundunt. Ubi Theologiæ studioso, cui Germanica Lingva est vernacula, non inconultum foret, Grammaticam & Lexicon Hebraico-Germanicum habere. Sicut & in nostro Gymnasio usus Græcæ Lingvæ floret insigniter, & in Hebraicis nulli Lingvæ hujus notitia negatur. Utimeas operas in Collegio privato frequentius obtuli; Clariss. Dn. Wolfgangus Rostenschernus non paucos etiam privatim solidè informavit, & Dn. Rabbi Joh. Salomon manu-ductionem ad ipsa Rabbunica spondet fidelem.

en. I. Inter omnes Disciplinas, Theologiæ inservientes, Lingvæ Græcæ & Hebraicæ cum Latinâ (cujus usus plerumq; nostris in Disputationibus & scriptis viget) notitia maximo-
rè requiritur, si quis non alienis, sed proprijs oculis ipsos Tex-



tus primigenios intruere velit. Hinc Magnus noster Chemnitius Grammaticæ Studium tantoperè commendat, part. I. LL. Th. p. m. 544. ut alibi monuimus. Et quia de vocabulorum sensu & acceptione difficultas oboritur maxima, ad regulas certas Grammatica revocanda est resolutio. Attendatur autem in *Thematibus seu Radicibus propria & primaria vocis significatio*, præcipueq; quomodo in ipsâ scripturâ sumatur; Ex quo deinceps magnus emphaseon campus efflorescet, & Logicâ in consilium adhiberâ, ac fidei analogiâ collatâ, argumenta prodibunt firmissima.

§. 2. Dixi verò Theologiæ Studio, cui Germanica Lingva est vernacula, *Grammaticam & Lexicon Germanicum* magno fore usui & emolumento, Germanica namq; Lingva in multis Hebrææ accedit, ipsâ indole suâ vicinior. Id quod multis exemplis aliquando probavi, exercitio etiam Hebraico proposito, quod Latinè de verbo in verbum transfusum vitijs scarebat, sed cum germanico Idiomate pulchrè conveniebat. In defectu namq; *libellorum Grammaticorum*, quibus tum temporis per turbulentum temporis statum commodè potiri non poteram, *Grammaticam* hujusmodi *Germanicam* ita conficere decreveram, ut simul utriusq; *Lingvæ Hebræicæ & Germanicæ* cognationem edocerem, à quâ deinceps curis retractus fui gravioribus. Sic etiam ad eandem *ἑρμηνεύματα* *Lexicon* componi posset *Hebræo-Germanicum*, in quo *propria vel primaria significatio primò* omnium poneretur, *derivata suâ serie, Textibus tantùm Bibliicis citatis* subordinarentur, & *Concordantiæ*, quomodo *Lutherus* eandem radicem diversis in locis diversimodè reddiderit, subjungerentur. Qui labor *Praxin Theologicam in Concionibus Germanicis è Biblijs Lutheri* maximoperè juvaret. Sin quis illud perfectius elaborare veller, id è *LXX virali & Vulgatâ Versione, ac Observationib9, è præstantissimis Lexicis collectis*, augere posset. Sed hoc majoris esset laboris, & in rebus Theologicis maximè exercitati Judicij. Utraq; Lingva hodie in nostro Gymnasio sic docetur, ut nostrates, si malè stent in futuris Examinibus Theologicis, non de Lingvarum discendarum facilitate, sed supina

na

nā suā ignorantia conqueri teneantur. Cum Deo tamen & die, si tempora pacis reducta majorem quoq; numerum discipulorum ex alijs locis ad nos evocent, Exercitia hujusmodi insignia majore numero institui. *Philologicae Dissertationes haberi & post Bibliorum Hebraeorum notitiam, quæ merito præmittenda est, ad ipsos Rabbinos, Targum & Thalmud per nostrum Dn. R. Job. Salomonem Juvenis deduci poterit.*

Theorema XIII.

Sicut Rhetorica futuro Concionatori maximopere est necessaria; Ita cum primis Theologo Disputaturo Logica & Metaphysica. Quarum usus etiam in nostro dominatur Gymnasio.

ex D. 1 Sicut omnis ars naturam perficit, & ejus nititur fundamentis: Sic etiam *Rhetorica & Logica* suum munus fideliter obeunt, ac sui contemptum vindicant, ut etiam si quis naturali facundia vel *αγχινοία* polleat, tamen *Grammatica Rhetorica, & Logica* spretæ poenas luat crebriores. Quemadmodum & *Poesis* verborum copiam, ac ingeniosam inventionem suggerit, & quantitates Syllabarum docet. Utraq; Disciplina apud nos in crebro spectatur exercitio.

ex D. 2. Ita in *Classe Secundâ* præceptis *Logica* fideliter explanatis, ad ipsas *Disputationes* adolescentia rectè ducitur, ut sic commodius in *hâc Classe* meas *Disputationes* per *Observationes Theologicas* possum proponere. Insignem verò utilitatem *Juventus* capere posset, si mihi & temporis spatium, & sumtus suppetere, ut *Disputationes* in *Classe Secundâ, in Thesi bene fundatas, & Magnorum Theologorum Observationibus* auctas possem absolvere, & sic in *Lectione & Disputatione* studiosam *Juventutem* eò remittere. Hâc enim ratione opposituri *objectionum, & responsuri distinctionum* copiam haberent paratam, & in *Disputationibus minoribus* ipsdem instar *Bibliothecæ* uti frui possent. Et sanè hoc de omnibus discipulis meis fateor, eos, qui per has *Observationes* diligenter prius ducti fuerunt, in *Disputationibus* deinceps feliciter
suc-

successum sensisse, quod publica quoque specimina luculentè fuerunt contestata. His absolutis, parvo sumptu, sed magno fructu Disputationum, tirocinijs Gymnasii apprimè convenientium, copia crebrior singulis septimanis parari, ac Studiosa Juventus solidè fundari posset. Sic etiam à *Clarissimo* *Dn. Professore* Joh. Petro Titio &c. in *Oratorijs* ita præparatur Juventus, ut deinceps in *Thematibus Theologicis*, circa *Festa Majora* solenniter elucubrandis, eruditos conatus meliùs Auditorio probet.

ex D. 3. Propter Hæreticorum verò præcipuè Scholasticorum & Socinianorum strophas & versutias *Metaphysica* quoque insignem confert operam, uti in *Disputationibus* accuratioribus *terminos & distinctiones* faciliùs assequuntur, & axiomata solvunt Philosophica, qui aures suas à *Clariss. Professore* *Metaphysica* priùs expoliri curarunt, quod frequentius in *Disputationibus* magno cum fructu Juventutis nostræ experimur.

Theorema. XIV.

Compendio igitur Theologico in Classe Secundâ absoluto, Juventus his alis, præcipuè Lingvarum & Logicæ notitiâ, instructa altiùs progrediatur, ipsa systemata Theologica evolvat, & in *Disputationibus* Theologicis argumenta ex ipsis Textùs visceribus formare asvescat, uti hæctenus fideli *χρησάτωρ* sic eam non deserui.

ex D. 1. Licet *Disciplinæ Philosophicæ* non ad τὸ εἶναι, sed εἰς εἶναι, nec tam ipsi *Theologie*, quàm *Theologo* necessariæ sint, nullas tamen illarum *Studiosa Juventus* grandi contemnat supercilio, præsertim quum omnes in hoc *Gymnasio* gratis etiam à *Clarissimis Dominis Professoribus*, publicè constitutis, doceantur, & multa in *Scripturis* occurrant, quæ ex his illustrationem possunt petere, Quoties *Excell. Dn. D. Eichstadius* *nostræ* Juventuti horis & matutinis & vespertinis cœli faciem spectan-

spectandam exhibet, cui ipse, meo exemplo meos provocaturus, non raro interfui, tories in mentem venit illud Esaiaë c. 40, 26. *Attollite in sublime oculos vestros, & videte, quis creavit ista, producens numero suo exercitum ipsorum: quis ista omnia recet de nomine præ amplitudine virium, prout fortis est robore, aded ut quicquam non desit.* Similiter in *Historicis Excell. Dn. D. Joachimus Pastorius, Medicus & Historicus Regius, in Gymnasio nostro Profesor Honorarius, Historiarum accuratiorem, per priora secula notitiam hæctenus tradidit, ac ad Historiam Ecclesiasticam Juventutem nostram utiliter præmunir, ut sic in omnibus Facultatibus & Disciplinis non dextrè Docentium diligentia, sed numerus Exterorum, peste & metu bellico deterritorum, frequentior, desideretur*

en. 2. Porro quum hæc Tria, *Oratio, Meditatio, Tentatio* faciant Theologum, de quibus Megalander Noster Lutherus in Præfatione, super Tomos Ienenses Tomo I magno dissecruit Spiritu, ea etiam nostris Auditoribus diligentius inculcantur. Publicæ namq; preces & Cantilenæ, gratiam Spiritus S. implorantes manè & vesperi singulis diebus habentur, nec ulla à me Lectio proponitur publica, quin precum devotione inchoetur & finiatur. Similiter Scripturæ Oracula in publicis quotidie personant Auditorijs, ipsa Cantica verbis scripturæ concepta, Conciones ab Alumnis excipiendæ, & similia ad verbi Divini Meditationem eos impellunt; & si paupertate vel similibus Tentationibus, quæ in hanc cadunt ætatem, exerceantur, jam hymnos suos habent compositos, quibus mentem suam relevare valeant. Verùm Tentationes illæ Spirituales & conscientia Agones magis in Timotheo, jam viro Dei, quàm puero & Adolescente spectantur.

en. 3 Sic etiam *Lectioem Biblicam, ceu Studii Theologici proram & puppim, Studiosis nostris diligentius commendamus, ita tamen, ut pro Adolescentibus in Gymnasio Lectioem potiùs cursoriam, quàm accuratam, in Academiâ deinceps & officio publico subsecuturam, urgeamus. In Utrâque Oratio devota, & Meditatio religiosa, humilis & sedula, primas partium efflagitant. Cursoria sic instituetur, ut Biblia Lutheri Germanica manu Diurnâ nocturnaq; versentur, & ex iis*

(1) sum.



(1) *summa libri, & Capituli casusque præmittatur, quæ in in ipsis Biblijs plerumque etiam præmittitur, (2) Dicta Biblica insigniora notentur, (3.) Memoria localis in Exemplari per omnem vitam retinendo figatur. (4.) ac quæ selectiora sunt, peculiari libello inferantur.* Quoniam etiam Fontium cognitionem præcipue intendo: Hinc in omnibus Lectionibus & Disputationibus Studiosam Juventutem, Novo Testamento Græco cupio instructam, ac pro re natâ Meo Exemplari, jam multo usu trito, & variis lineolis subductis ornato, Juventutis oculis exposito, Emphases verborum accuratè observari jubeo: Quò sic ad ipsos Fontes deducti, se facili negotio possint ex iis extricare, in quibus alijs, Fontium notitiâ destitutis, aqua hæere videtur. Sed de hoc ex Professo Theologi Excellentissimi Dn. D. Iohannes Hülsemannus in Methodo Studii Theologici, & Dn. D. Abrahamus Calovius in Pædia Theologica egerunt.

§. 4. Tandem quia, teste Paulo, in hac posteriore Epistolâ ad Timotheum, c. 3, v. 16. *omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam in justitiâ;* hi etiam fines jam explanandi essent, prout peculiaria Capita de Studio Exegetico, Didactico, Polemico, Theologie Moralis, Casualis, Historie Ecclesiastica, & Patrum, Excell. Dn. D. Calovius in Pædia sua concinnavit: Sed ea in TIMOTHEO jam DEI VIRO, ad omne opus bonum perfectè instructo, divinâ favente gratiâ, uberius deduci poterunt. Istæ pro Timotheo à puero ad verbi divini notitiam informando sufficient. Quocirca Aëibus, ab ipsis Professoribus in Iubileo Gymnasii hætenus habitis, supremam manum imposituri, tendamus devotas ad sidera palmas.

Tue igitur divina protectioni, O Deus sanctissime, Pater omnis gratiæ & misericordiæ clementissime, nostrum Gymnasium unice committimus, ac in Nomine Domini nostri Iesu Christi Te corde & ore debito invocamus, ut Spiritum Tuum Sanctum in corda Docentium & discipulorum mittas, qui (ut fert Jubilei nostri Tessera) fecundet, quod irrigat, fidem in cordibus gignat, mentem divinarum & humanarum literarum notitiâ imbuet, affectus sanctificet, peccata amoris non fucati constringat vinculo & nos omnes, ut sincere fidei, se etiam ejus per Charitatem efficacis fructuum reddat fertiles, quò novum Gymnasium seculum, cum fœdere pacis restaurando, & salute civitatis florentissimæ renovandâ exorsis, sub Serenissimo ac Potentissimo Rege nostro Domino IOHANNE CASIMIRO, &c. &c. &c. Unctio tuo gratiosissimo, nostro Magnifico Senatu, & Nobilissimo Scholarchali Collegio, verbo & Sacramento divinis incorruptè servatis, placidam & tranquillam vitam in omni pietate & honestate transigamus, donec ex hoc mundo, illo dolorum & malorum, fiduciæ & patientiæ GYMNASIO in æternè beatam & beatè æternam Gloria & lætitiâ UNIVERSITATEM perveniamus per Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

L. B. Errata corriges, & in ijs præcipue hæc A. I. l. 20. l. Dominus B. 2. l. 25. l. Hierarchiz. C. 2. l. ult. l. Hefychig. C. 4. l. 12. l. abstinentum E. 4. l. 15. l. effusæ,


617.

di

m-

22.





DISPUTATIO ^{שטב} SECULARIS
 De
METHODO
SCHOLASTICA,

Præcipuè verò
TIMOTHEUM TENELLUM
 Benè informandi, ut à puero Sacrarum Literarum
 sciens, homo DEI ad omne opus bonum perfectè
 instructus possit evadere:
 Orationes & Disputationes, ab ipsis Professo-
 ribus in Iubilæo habitas, concludens.

